R R
d
B e
22
C
MEDICAL SOCIETY
OF LONDON
WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY
ACCESSION NUMBER
PRESS MARK
GARMANN, C.F.

65363/A/2

57



L. Christian Friedrich Garmann,
Medicus R.P. et E. S. Provincialis, Physic.
Chemnicensis Academic. curios. d. Pollux.
Natus Martisb. d. 19 Januar. 1640.
Obiit Chemnit. d. 15. Iuly. 1708.

M.B.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI & ALIOR. VIROR. CLARISSIMOR.

EPISTOLARUM CENTURIA

Argumenti Miſcellanei, potiſſimum Phyſico-Medici, Selectioris & Curioſi.

e Muſeo

L. IMMANUELIS HENRICI GARMANNI

Phyſic. Provincial. & Pract. Schneeberg.

ROSTOCHI & LIPSIÆ.

Sumtibus CHRISTIAN-GOTTHOLD GARMANNI

Bibliopolæ Roſtochienſis.

M DCC XIV.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

Lectori Benevolo Salutem & Obſervantiam.

Pietas in beatum meum Parentem, reliqvorum majoris commatis Virorum memoria colenda,qvin & ſtimulus,qvem varii addiderunt, qvibus obſeqvendum erat, tantum penes me valuerunt, ut colligendo ac edendo huic epiſtolarum faſciculo vacarem. Dudum Viri ſummi, qvibus amplificatio rei literariae curae cordiqve fuit, exiſtimaverunt, ad eam excellentium Virorum epiſtolis magnum adferri pondus & momentum; qvorum autoritate communi ſuffragio confirmata praemunitus, cum in his varia offenderem, quae argumenti utilitate & jucunditate ſeſe commendarent,. imo etiam alia, quae ad hiſtoriam ortum ſcilicet,progreſſum & fata Collegii Curioſi pertinerent, cui ſtabiliendo & exornando indefeſſam ac plane egregiam navavit operam Uratislavienſium Podalirius Philippus Jacobus Sachſius a Lewenheim (qvi dignum virtutum ſuarum praeconem nactus in

Medico

Medico & Polyhiſtore incomparabili Joh. Daniele Majore *vid. memor. Sachſian. in append. Ann. IV. Decur. I. Miſcellan. Natur. Curioſ.*) eas publico commodo deſtinavi, qvas nonnulli antea non ſine qvadam animi voluptate privatim perlegerant. Eqvidem non inficior, aliqvas beati Parentis mei Epiſtolas huic Centuriae inſertas jam extare, e. g. Epiſtolam I. & II. in allegati Domini Majoris Chirurgia Infuſoria p. 86. & ſqq. & qua obſervationes, quas continent, Epiſt. LXVIII. LXXIII. LXXVI. XC. in Miſcellan. Natur. Curioſ. Anno I. II. & III. connexionis tamen gratia a reliqvis minus ſeparandas eſſe duxi. Qvod ſi hoc meum qvalecunqve ſtudium Tibi, Lector Benevole, non ingratum intellexero, id inpoſterum agam, ut, ſi DEUS vitam & ſanitatem conceſſerit, adhuc una vel altera Epiſtolarum Centuria, Tractatus de ſalubritate & noxa halitus humani, ac forſan plura Parentis mei opuſcula Phyſico medica conſpectui Tuo ſe ſiſtant. Vale!

Sylla-

Syllabus & Ordo Alphabeticus eorum, a qvibus haec Centuria Epiſtolarum conſcripta:

CAMMERHOFIUS. M. Johannes. Conrector Halenſis & Magdeburgenſis, poſtea Rector Islebienſis, tandem Paſtor Cœnobii Colbergenſis †. Epiſt. 43.

ETTMULLERUS. D. Michael. Profeſſor Publicus Lipſienſis, Acad. Natur. Curioſ. Collega †. Anno 1682. Epiſt. 58. 60. 84.

FEHRIUS. D. Joh. Michael. Conſul & Phyſicus Svinfurtenſis, Acad. Nat. Curioſ. Praeſes II. dictus Argonauta I. †. Anno 1688. Epiſt. 4. 21. 22. 36. 48.

FEHRIUS. D. Joh. Laurentius. Phyſicus Svinfurtenſis. A. N. C. Adjunctus dictus Argonauta II. †. Epiſt. 52.

GARMANN. L. Chriſtian Fridericus. Reg. Polon. & Elect. Sax. Medicus Provincialis, Phyſicus Chemnicenſis A. N. C. Collega dictus Pollux. †. Anno 1708. Epiſt. 1. 2. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 15. 17. 19. 20. 23. 24. 25. 27. 28. 29. 30. 31. 33. 34. 37. 41. 46. 47. 53. 54. 55. 57. 59. 63. 66. 67. 68. 73. 74. 76. 77. 82. 83. 85. 86. 90. 93. 96. 97. 98. 100.

JÆNISIUS. D. Johannes. Phyſicus Uratislavienſis. A. N. C. Adjunctus, dictus Arcturus. †. Epiſt. 87. 92.

MAJOR. D. Joh. Daniel. Profeſſor Vitebergenſis, Medicus Loimicus Hamburgenſis, tandem Profeſſor Kilonienſis, A. N. C. Collega dictus Heſperus. †. Anno 1693. Epiſt. 3.

MAKIUS. D. Joh. Chriſtian. Medicus Provincialis, Conſul & Phyſicus Schneebergenſis. A. N. C. Collega †. Anno 1701. Epiſt. 69.

MOLLENBROCCIUS. D. Valentin Andreas. Phyſicus Halenſis. A. N. C. Collega dictus Pegaſus I. †. Anno 1672. Epiſt. 32. 42. 64.

NESTERUS. D. Johannes Matthias. Archiater Beruthinus. † Anno 1679. Epiſt. 79. 88.

PETRI ab HARTENFELS. D. Georg. Chriſtophorus. Com. Palat. Caeſar. Archiater Moguntinus, Profeſſor Publicus ſemiſecularis in perantiqua Hierana, A. N. C. Collega dictus Achilles, adhuc in vivis, quem DEUS porro ſoſpitet! Epiſt. 40.

REICHIUS. M. Godofredus. †. Epiſt. 14. 39.

Sachſius

SACHSIUS a LEWENHEIM. D. Philipp-Jacobus. Phyſicus Uratislavienſis. A. N. C. Adjunctus, dictus Phoſphorus. †. Anno 1672. Epiſt. 9. 16. 26. 38. 44. 50. 56. 62. 65. 70. 71. 72. 75. 78. 81.

SCHENKIUS. D. Joh. Theodorus. Profeſſor Publicus Jenenſis. †. Anno 1671. Epiſt. 78.

SCHMID. D. Elias. Phyſicus Svinfurtenſis A. N. C. Adjunctus dictus Phaeton †. Epiſt. 21. 35.

a SCHOENBERG. Abrahamus. Potentiſſ. Reg. Polon. & Elect. Saxon. Conſiliarius Intimus, Summus rerum metallicarum & Circuli metallici Praefectus. †. Anno 1711. Epiſt. 89.

SCHULZIUS. D. Godofredus. Practicus Islebienſis. †. Anno 1681. cum tota familia in peſte Jslebienſi. Epiſt. 81. 91.

STEMPELIUS. D. Chriſtophorus Erneſtus. Practicus Annaebergenſis. †. Anno 1674. Epiſt. 94. 99.

SCHRAMMIUS. D. Gottlieb Georg. Phyſicus Frauſtadienſis. A. N. C. Collega. †. Anno 1673. Epiſt. 95.

VOIGT. M. Georg Erdmann. Paſtor

Lœſni-

Lœſnicenſis Schœnburgiacus. †.Anno 1689. Epiſt. 45. 49. 51. 61.

VOLGNAD. D. Henricus. Phyſicus Uratislavienſis A. N. C. Adjunctus dictus Sirius I. †.Anno 1682. Epiſt. 89. 92.

Conſpectus Argumentorum.

Epiſt. I. De Chirurgia infuſoria.
II. De Eadem & aliis inventis novis.
III. De Eadem, Plantis monſtroſis & tabulis Phytoſcepticis.
IV. De Chryſanthemo monſtroſo.
V. De Chirurgia Infuſoria, tabulis Phytoſcepticis præterlapſi Seculi, Erpenii Tractatu de Peſte.
VI. Diſcurſus de Gemellis & partu numeroſiore præludium.
VII. Diſcurſus de Gemellis &c. Dedicatio.
VIII. Ejusdem argumenti.
IX. Reſponſio ad praecedentem.
X. Lectionum publicarum Intimatio.
XI. De plantis monſtroſis.
XII. De Principiis Chymicis.
XIII. De Collegio Curioſo.
XIV. Votum Propemticum.
XV. An e pulmonibus in cadavere de aetatis annis firmum poſſit fieri Judicium?
XVI. Salve Academicum.
XVII. De hypochondriaco, moſcho & Caduco uteri.

XVIII.

Epiſt. XVIII. Reſponſoria ad praecedentem.
XIX. Cadaverum Cruentatio.
XX. De Plantis monſtroſis.
XXI. Salve Academicum.
XXII. De ſerico meteorico ſeu monſtroſo quaedam.
XXIII. De ſucco pancreatico, hypochondriaci cura, caduco uteri & lepra.
XXIV. In Praeceptorem Pietas. Vacuum. Spiritus mundi.
XXV. Inſulae Doctoralis Gratulatio.
XXVI. Salve Academicum reiteratum.
XXVII. Pro invitatione humana gratiarum actio, multa de Collegio Curioſo.
XXVIII. Gratiarum actio pro receptione in Collegium Curioſum.
XXIX. Ejusdem cum praecedente argumenti. Tractatus de ferro. Arbor medulla ferrea.
XXX. De Carduo ſancto,
XXXI. De maculis ſcorbuti & pediculis in Cadavere.
XXXII. Macularum ſcorbuticarum in Cadavere cauſae. Unde pediculi?
XXXIII. De ſerico varia.
XXXIV. De pulvere Lycopodii, Pini & Coryli.
XXXV. De plantis monſtroſis quaedam. Tractatus de ferro.
XXXVI. De Collegio Curioſo & plantis monſtroſis.
XXXVII. De Chirurgia infuſoria.

Epiſt. XXXVIII. De miraculis mortuorum & plantis monſtroſis.
XXXIX. De Clamore ſangvinis Abelis. De trucidatione Zachariae filii Barachiae. De ſangvine e latere Chriſti. De ſangvineo ad montem oliveti ſudore. Sangvis ejus ſuper nos. Judaeorum clamor. Cadaverum cruentatio.
XL. De Carduo ſancto & Collegio Curioſo.
XLI. Obſervationes de Scorbuto & Arthritide vaga Scorbutica.
XLII. Reſponſoria ad praecedentem.
XLIII. De Didactica nova, de novis inventis Goericenii Conſulis Magdeburgenſis & Academia Curioſa.
XLIV. Ephemerides Germanicae. Liqvor refectivus.
XLV. De Aloe Schlibenſi.
XLVI. Reſponſoria ad praecedentem de Aloe.
XLVII. De morte Conjugis. Ephemerides Germanicae. Academiae Curioſae Sigillum & Lemma. Collegarum recommendatio.
XLVIII. De Legibus Academiae Curioſae.
XLIX. De Aloe Schlibenſi.
L. Super morte Uxoris Sympathia. Collegarum novorum Syllabus. Liquor refectivus. Spiritus terrae ſolaris.
LI. Qvaedam de Aloe Schlibenſi.
LII. Reſponſoriarum amica petitio.

Epiſt. LIII. Aloe Schlibenſis. Infuſoria. Terra Schmidebergenſis.
LIV. Conjugis obitus. Lemma Curioſorum. Ephemerides. Aloe Schlibenſis.
LV. Reſponſoria ad Epiſt. LII.
LVI. Novorum Collegarum Receptio. Ephemerides. Qvaedam de Burrho.
LVII. Conſilium pro hypochondriaco.
LVIII. Amica Reſponſoriarum D. Sachſii petitio.
LIX. Opuſculorum mentio. De Thermarum probatione problema. Salve Academicum.
LX. Thermarum per praecipitationem probatio rejicitur. Plantae monſtroſae. De plantis phantaſticis & Opio. Inſecta e plantis.
LXI. Diſſertationis de Via Sabbathi dedicatio.
LXII. Rapa monſtroſa. S. Caeſ. Maj. in Collegium Curioſum gratia.
LXIII. Ejusdem fere cum praecedente argumenti.
LXIV. Brevis ad praecedentem Reſponſoria.
LXV. De Collegii Curioſi felici progreſſu & transmiſſis obſervationibus.
LXVI. Salve Academicum. De Uſu acidularum.
LXVII. Gratulatio de receptione in Collegium Curioſum.
LXVIII. Obſervationum Sylloge.
LXIX. Leges Collegii Curioſi. Scheunemann

manni hydromantia Paracelſica. Fons Ronneburgenſis. Aquae medicatae. Cortex Winteranus. Mercurificatio Metallorum. Ammanni medicina Critica.

Epiſt. LXX. De Ephemeridibus Curioſorum.

LXXI. Ejusdem argumenti cum praecedente.

LXXII. Ejusdem argumenti.

LXXIII. Obſervationum biga.

LXXIV. De Collegio Curioſo & ſcriptis qvaedam.

LXXV. De Collegii Curioſi ſucceſſibus.

LXXVI. Variarum Obſervationum Sylloge.

LXXVII. Amica compellatio. De ſcriptis Curioſis quaedam.

LXXVIII. De Collegio Curioſo.

LXXIX De Curioſorum Labore Judicium.

LXXX. De miraculis mortuorum & medicamentis antiſcorbuticis.

LXXXI. De Ephemeridibus Germanicis.

LXXXII. Silentii Excuſatio. Homo ex Ovo. De Collegio novo Experimentali. Epigramma in Sachſii Effigiem.

LXXXIII. De Ovo humano.

LXXXIV. Reſponſoria ad praecedentem.

LXXXV. De Ovo humano & Spiritu mundi.

LXXXVI. De ſcriptis Curioſorum.

LXXXVII. Sachſii mors.

LXXXVIII. De Ovo humano. Mira ſatyriaſis. melancholicae. Epiſcopi Bambergenſis

bergenſis Exenteratio. In medicos qvosdam Scomma.
Epiſt. LXXXIX. De Ovo humano.
XC. Sachſii mors. Obſervationes pro Ephemeridibus.
XCI. Ovi humani examen. Panacea Nitneriana.
XCII. De Ephemeridibus anni tertii.
XCIII. Objectionum circa Ovum humanum ſolutio.
XCIV. Hydrops apertione ſcroti curatus. Dolores colici flatulenti.
XCV. De Centaurio minori.
XCVI. De Colicis doloribus & alvi obſtructione.
XCVII. DeCentaurio minori varia.
XCVIII. De variis ad hydropis curam manualem ſpectantibus.
XCIX. De ſero hydropicorum & fonticulis.
C. Libri ſecundi de miraculis mortuorum tituli. De Ovo humano. Extracti Colocynthidis vires.

(o)

quieti, arripuerim, hocque, inculto quamvis & agreſti, (voce dum non poſſum) Te alloqvi decreverim. Et feciſſem quidem illud poſt curioſæ & comtæ Tuæ de Cancris & Serpentibus petrefactis Diſſertationis Epiſtolicæ editionem, niſi fama de abitu Tuo Witteberga Hamburgum verſus certiorem me reddidiſſet. Qvo percepto nuncio immenſum dolui, quod ſic commercii literarum non tantum inhiberetur ſerra, ſed & cogitata de fibris corporum naturalium mixtorum, (ea enim tunc tacito verſabam animo) quæ Te, inprimis in doctrina Lapidum, aureum expectabant Phoſphorum, hoc modo oppido ſufflaminarentur.

§. 2. Inter hos tamen mentis dolores non potui ſimul intermittere, Tibi, Vir Excell. tacito cordis tripudio gratulari, quod potentisſimus ille rerum Arbiter T. Excell. tribuerit tam nobile & ſplendidum Theatrum, in quo inſignis Tua eruditio toti conſpicua ſiſteretur orbi, & in omnes mundi dimanaret angulos. Placuit tunc Phœbi de Te augurium, quod Æſculapii Columnis in-

inſculptum ſe legiſſe mihi perſvadebat Clio hunc in modum:

MAGNUS erat MAJOR, MAJOR fuit Albis ad undas,
MAXIMUS Hamburgi, crede, Machaon erit.

§. 3. Nec deſtituit eventus hoc optimi vatis augurium. Non jam afferam egregiam illam, quam ægris curandis inſumere ſoles operam, non quem aliis curioſis Phyſico-Medicis, inprimis Lithologiæ Tuæ, impendis laborem; Chirurgiæ infuſoriæ Tuæ Prodromum, nuper luci publicæ donatum, tantum allegabo. Dicere vix poſſum, quanto deſiderio ab eo tempore hunc expectarim, quo ipſius titulum Catalogo Librorum inſertum vidi, quantis gaudiis illum exceperim, vix exprimere. Ut legi, obſtupui, felicitatem Medicinæ hoc noſtro ſeculo miratus, quippe quæ tot fere nobilisſimis ſuperbit inventis, quot ſeculum annis. Quæ ante Hippocratis tempora in cunis vagiit infans, venerabilis Matrona jam conſpicitur, & à tot nobilisſimis ambitur Procis. Qveis & Tu Vir Nobilisſ. accenſendus cum nobili

bili illo invento, Chirurgia Tua infuſoria. Hac enim doces, qvomodo deplorati & ad orcum ſpectantes vitæ ſint redonandi, & orci faucibus eripiendi. Baſiis hunc Tuum laborem dudum proſecuta eſt alma Medicina, nec oſcula huic denegarunt Viri in hac arte celeberrimi. Truncus eſſem, ſi non & ipſe hoc Tuum venerarer ſtudium, ſi non laudibus obruerem, non homo. Placebit hoc inſtitutum poſteritati, nomenque Tuum transfundet in ſeros nepotes.

§. 4. Dum igitur totus lectioni pagellarum Chirurgiæ Tuæ incubui, inter legendum quædam occurrerunt, quorum dilucidiorem explicationem ingeniolum deſiderat meum, idcirco quædam ex his tribus tangere hic propoſui, non iſta intentione, quaſi Te, Vir Experientiſſ. a veritatis tramite aberraſſe autumem, ſed ut integrum tractatum hac de re conſcriptum maturares, autor Tibi eſſem. Sat commoda occaſio Tibi anſam dedit, ut mentem ad ingenioſum hoc inventum converteres, ſudoris nempe in febribus, & aliis affectibus malignis contumacia. Certe ſi quid eſt, quod

quod in morbis malignis Medicos & ægros ſæpius fatigat, ſudor eſt. Omnes, hic ut moveatur, unice quaſi deſudant Practici, omnes tamen finem optatum non attingunt, inprimis ſi Petechiæ & morbillorum Carbunculi à circumferentia ad centrum recurrunt.

§. 5. Movit hoc ſudorem ſæpius ante annum Viro Cl. Dn. Licent. Gotfrido Buxbaum, Medicinæ Practico hic loci feliciſſimo, Fautori & Præceptori meo honorando, in dyſenteria maligna epidemica, quo tempore citius quis aquam è pumice elicuiſſet, quam e quorundam corporibus ſudorem, inprimis eorum, quorum extrema a prima morbi invaſione rigebant, & usque ad ultimum vitæ halitum rigida & frigida permanebant. Et in febribus petechialibus, quæ paſſim jam graſſantur, ſudoris contumacia ſingulis fere momentis noſtris objicitur oculis & auribus.

§. 6. Quosdam quidem absque ſudore curatos memini, ſicut & exemplum alicujus Peſte infectæ & curatæ annotavit Experientiſſ. *Giſelerus de Peſt. Brunſvic. Obſ. 29.* quæ propter inquietudinem

nem, ne guttulam ſudoris profuderat, ſudoris tamen necesſitatem, ut malignitas a corde amoveatur, non ſine cauſa ſerio inculcant Practicorum Pandectæ.

§. 7. Poſſem hic in ſudoris originem altius me immergere, & varias variorum de hujus ortu opiniones recenſere, ſi tractatui, non epiſtolæ calamum admoviſſem: Verum cum hæ Tibi ſatis ſuperque ſint cognitæ, meam tantum mentem ex diſſertationibus meis de Fibris corporum naturalium mixtorum paucis afferam. Citato loco, Fibris (ex quibus omnia mixta proxime conſtare videntur) in animalibus inter alia & hoc officii asſigno, ut ſugant inſtar hirudinum ex venis capillaribus ſanguinem, & in cavitatibus ipſorum, tanquam ſtomachulis, coquant aliquantiſper, ut eo melius poſtmodum in alimentum & augmentum ſibi adaptent. Jam vero cum ſangvis non tantum ut eo melius moveatur, ſed & a Fibris commodius attrahi posſit, laticem ſeroſum ſ. lympham habeat admixtam, illa ſeroſitas, utpote corpori alendo inutilis, facta asſimilatione a fibris poſtmodum

ſegre-

ſegregatur, & per poros beneficio caloris tam externi, quam interni apertos modo ſenſibiliter, modo inſenſibiliter ejaculatur.

§. 8. Queis præſuppoſitis facile cauſas ſudoris ſangvinei, (cujus Exempla præter ea, quae allegat Excell. *Sachſius in Oceano Microcoſm.* §. 75. recenſent *Theophraſtus L. de ſudoribus*, & ejus Commentator *Daniel Futlanus*, *Salomon Albertus Orat. de ſud. Chriſt. ſanguin. Zacut. L. 2. Hiſt. Med. Princ.* 20. *p.* 183. *Sebizius Exerc.* 11. *Probl.* 5. *Gregor. Horſtius L.* I. *de morb. mul. part.* 2. *Obſ.* 15. *Poterius Cent.* 2. *cur.* 42. *& alii.*) dari poſſe ibidem demonſtro.

§. 9. Quocirca cum in peſte & aliis morbis malignis pori ſic obſtruantur, ut nulla ſubſequantur ſudoris effluvia, haud vana Te, Vir Excell. ſubiit ſolicitudo, unde hæc ſudandi difficultas prima ſumat cunabula. Et acute ſatis allegas ſangvinis viſciditatem, quæ in venis capillaribus, addo cumprimis Fibris, quas retrograda materia occupavit & obſtruxit, inchoata, majoribus etiam venarum ramis tandem communicatur,

ut in his ſangvis inſtar gelatinæ concreſcat , & moveri inaequaliter & cum langvore inchoet.

§. 10. Unde vero ſangvinis hæc viſciditas? A Miaſmate maligno, reſpondes, utpote quod brevi temporis ſpatio maſſam ſangvineam ſic diſponere & alterare poſſit, ut fiat ſeroſi laticis a fibroſis partibus ſecretio. Magnus ſe hic aperiret dicendi campus de ſangvinis viſciditate, ſi ambagibus indulgere & liceret & liberet; contraham tamen ſermonem ,ne humanitate Tua abuti videar.

§. 11. Varii & admirandi a Naturæ Conſultis fulminis effectus annotantur. Non enim tantum

Montes quatit impellens, diſcindit & arces (*Pontan.* 1. *Meteor.*)

Non tantum hoc dolia exhauriuntur intactis operimentis , nulloque alio veſtigio relicto, quod *Plinius* teſtatur. *L.* 2. *H. N. c.* 57. & *Lucretius l.* 6. *de nat. rer. v.* 227. dum canit:

Curat enim,ut vaſis integris vina repente diffugiant;

ſed & fracto dolio ſtat vinum,annotante

te *Seneca L. 2. Nat. quæſt. c. 31.* vel ut loquitur *Meurerus* (*Meteorolog. p. m. 237.*) vaſe diffracto obſtupeſcere facit vinum, ne diffluat per biduum aut triduum. Cauſam ſubjungit hanc, quia ſubita & velox alteratio vini in extremum ambitum vaſis expulſa ceu pellis obducitur liquori, ut conſiſtere ad biduum aut triduum posſit, ne diffluat , haud aliter quam ovum recens tenera pellicula obducitur, qua continetur omnis ovi natura, ne disſipetur in ventre gallinæ. Poſſe autem, pergit, talem ceu pellem in vino gigni, oſtendit natura pſyllii, quæ vino injecta lentam quandam viſciditatem, qua abundat pſyllium, communicat vino, quæ a calore vini expulſa ad extimas partes, adhæreſcit vaſi & denſatur, ut etiamſi detracta ſpina dolium aperiatur, non tamen effluat vinum. Hæc ille.

§. 12. Magnus *Sennertus l. 4. Epit. Phyſ. c. 2. p. m. 393.* calorem fulminis exteriores vini partes condenſare , ut vinum quaſi pelle incluſum concretum ſtare videatur , autumat. *Gerhard. Joh. Vosſius l. 3. de Orig. & progreſſ. Idolol.*

lol. c. 7. vim eam tribuit humori viſcoſo, calorique eum induranti.

§. 13. Has rationes mihi trutinanti Tu commode obvenis cum Nobiliſſ. *Sachſio*, Jlluſtri Naturæ & rerum naturalium ſcrutatore. *Tu* quidem dum in *Diſſert. de Cancr. & Serpent. petrefact.* §. 18. aſſeris, fulminibus ineſſe Sal tartareum; *Ille* vero, dum *ſupra citato libro* §. 52. refert Sal mirabile Glauberi etiam vinum in durisſimam glacieique æmulam ſoliditatem compingere, &, dum a Mercurio & aliis venenis intro ſumtis ſangvinem in Venis congelatum fuiſſe exemplis demonſtrat §. *136.* Jam vero & fulmini ineſt vis venenata, vel, ut *Senecæ* verbis utar, peſtifera, ſicut id vinum teſtatur fulmine congelatum, quod homines bibentes interimit vel ad amentiam redigit. Et probabile eſt, aves cum canibus a fulmine percuſſorum cadaveribus abſtinere ob veneni ſuſpicionem, quamvis ſulfureum odorem, quem ſpirant, cum *Plutarcho l. 4. Sympoſ. q.* 2. etiam aliquid valere putem. Cur ergo a venenato & Tartareo halitu vinum coagulari non ſtatuamus?

§. 14.

§. 14. Obiter hic inſpergere liceat ex *Sylveſtr. Ratray adit. ad Sympath. & Antipath. p. m.* 24. remedium præſervativum vini eſſe, ne fulmine tangatur, ſi ferrum doliis ſuperponatur. Ferrum vero venenis reſiſtere, nullumque venenum eſſe Martiale, cum ♂ ſit quaſi minor ☉, ſed vel Saturninum, vel Mercuriale, vel Lunaticum docuit *Ezlerus Iſagog. Phyſ. magic. med. c. 3. p. 77.*

§. 15. Sed quorſum hæc, inquiet quiſpiam? Scilicet, ut hoc exemplo effati Tui veritas magis magisque patefiat, et cauſa ſangvinis congelati aprico exponatur ſoli. Quod enim vino a veneni inſpiratione contingit, idem & ſangvini, quocirca vino illum comparare Viri in arte noſtra Celeberrimi, *Deuſingius Exerc. de alim. depuration.* §. *35.* & *Willis de Febr. c.* 1. non ſunt veriti. Vinum a Tartari præſentia non raro redditur turbidum; ſic quando in ſangvine propter malam digeſtionem particulæ ſalinæ non rite exaltantur, verum crudæ, & magna ex parte fixæ permanent, inde cruor evadit ſpiſſus & Circulationi ineptus, citatus *Willis* recte

ſtatuit,

ſtatuit, qui & totus Tuus eſt, dum *c. l. c.* 12. ſcribit: ſunt alius generis venena longe periculoſiora, quæ ſangvinem congelant, ejusque mixtionem deſtruendo corrumpunt; ſcilicet maſſæ ſangvineæ primo congelationem, dein putredinem inducunt: Cum enim Spiritus cruoris a veneni contagio profligati, disſipantur, liquoris mixtio inæquabilis ſolvitur: quare particulæ crasſiores ſe mutuo implicant, & (inſtar lactis ab infuſo coagulo aut ſpontanea aceſcentia) invicem coagulantur; & quæ alia ibidem legi merentur. Quæ ipſa ſangvinis viſciditas & cauſa eſt, cur veneno extinctorum corda in igne inſtar Salamandri ad tempus illæſa perdurare posſint. Ad tempus dico; non enim penitus incombuſtibilia eſſe, prout credidit antiquitas, ex *Spigelio* nos informat meritisſimus Præceptor *Magnif. Rolfincius Diſſ. de Corde c. 2. p. 22.*

§. 16. Nec tantum venenata miaſmata per cutis ſpiracula & oris halitum attrahuntur, ſangvinem ut congelent, ſed & venenatam qualitatem in corpore noſtro generari poſſe olim conceſſit

Galenus

Galenus 6. de loc. aff. c. 7. quin imo venenum, *Kircherus Scrutin. de Peſt. ſ. 2. c. 2.* & ex hoc animata putredo, quod ante luſtrum fere primus docuit *Hauptmann. Epiſt. de viv. mort. imag.* & poſt hunc citatus *Kircherus, Petrus a Caſtro de febr. punct.* & deſideratisſ. Præceptor *Chriſtian. Langius diſſert. de morbill. & præfat. in Scrutin. de Peſte Kircheri.*

§. 17. Dum igitur ſangvis in venis a veneno glaciali rigidus ſudoriferorum efficaciam reddit irritam, non immerito mentem illorum abhorres, qui in re tam ardua omnia Prognoſtico committere ſolent, & deſperatos non eſſe attingendos, clamitant. Scite *Poterius Cent. 2, Obſ. 1.* In levi & per ſe ſanabili morbo Medicus quivis ægros ad optatum & placidum ſanitatis portum reducere poteſt: Contra vero in gravisſimis morbis, ubi ſusque deque omnia feruntur, & in quibus Symtomatum & ſignorum agmen magno impetu in nos ruit, non niſi cordatus & navigationis ejusmodi expertus mortales ab hac tempeſtate reducet. Hinc ut Te hic præſtes virum, omnibus ſeculis inauditam

ditam propalas Chirurgiam infuſoriam.

§. 18. Recte autem mones §. *22.* in affectibus a ſangvine congelato proficiſcentibus eam tantum locum habere, non vero in quibus ſangvis liquatus. Talem ſiquidem ſangvinis liquefactionem in Peſte & prædictis affectibus teſtantur Hæmorrhagiæ inſignes narium, mortis inſtantis non raro præcones, cujus exemplum ante aliquot ſeptimanas in Studioſo, petechiali Febre correpto & mox fatis functo, ſupra laudatus Dn. L. Buxbaum obſervavit. Memorabilem hiſtoriam annotavit *Georgius Agricola l. 2. de Peſte* dum ſcribit, Anno Chriſti 1552. Miſenæ mulieris alicujus Peſtilentia correptæ pectus & caput triduo ſudaſſe ſangvinem, priusquam extingveretur.

§. 19. Nec tamen in omni ſangvine congelato Chirurgiam Tuam locum habere, ſi felici eventu ſtipari vult, judico. Sangvis enim aut eſt congelatus & putredini proximus, aut totaliter corruptus. Priori modo conſtituto illa ſubvenire aliquantiſper poſſet; ſi vero

vero mortali fermento imprægnatus ſangvinis naturam exuit, ut illum ne quidem ſanguinis nomine nobilito: (vix enim credo cum *Helmontio*, *Tract. lunare tributum*, illum vinum potare, acetum qui bibit, quamvis hoc ex illo factum ſit) ita illum inutilem plane dico cum *Galeno 4. M. M. c. 1.* qui ad naturam ſuam penitus reverti non poteſt, dictitante *Foreſto l.* 20. *Obſ. Med. 3.* Quod & ipſe fateris, dum §. *38.* edicis: Quo firmior vitalis purpura concrevit, eo certior mors, ut minus ſpei tunc fuerit ex Chirurgia infuſoria petendum.

§. 20. Circa conditiones §. 21. poſitas nihil habeo quod moneam, niſi quod *c. l.* & antecedente §. 11. doces, inſufflari poſſe per tubulum, & etiam ope manus in venam intrudi liquorem. Jam ſi quæratur, uter modus convenientior videatur, ego poſteriorem eligerem. Prior enim partim Chirurgo, partim ægro aliquid creare, vel ſaltem minari poteſt periculum. Peſtem halitu oris propagari inter alios annotat *Hieron. Jordanus, de eo, quod eſt*

eſt in morbis divinum, *c.13. p. 54.* Quid ſi & Chirurgus halitum venenatum e vena per tubulum exhalantem exciperet & eidem ſubjiceretur eqvuleo? Nec ægro oris halitus ſimul cum liqvore venæ intruſus ſemper conveniet. Salivæ non tantum vim fermentantem tribuunt moderni, inprimis *Schenk. hiſt. ſer. ſangv. c. 5. Svvalbe ventric. querel. & opprobr. p. 43.* eamque Fermenti cujusdam vicem ſubire in ventriculo *Wartonus Adenograph. c. 21. p.* 125. aſſerit; ſed & halitui oris illam tribuendam eſſe vel peritiores norunt Pharmacopœi, qui Syrupos in propriis vaſculis guſtare recuſant, ne ob halitum oris vaſculo communicatum, fermentationem experiri & aceſcere Syrupi neceſſe habeant. Et quamvis halitum ſani & probe nutriti hominis expiratum, & in peculiari ad id excogitato Pnevmatolabio in albicantes criſtallos concretum in Phtiſi ſummopere extollat *Fabritius Bartholettus Method. in Diſpnoeam l. 5. p. m.* 391. tamen quis quæſo eſt, qui quamvis alias ſanus, vel ob aſſumtum cibum & potum, mutatum & odore

exotico

exotico coinquinatum non exſpiret halitum, qui medicamentum & liqvorem infundendum alterabit, & ejus vires immutabit.

§. 21. Et hoc tanto magis, ſi Chirurgus in cuniculatis pulmonum partibus phtiſin geſtat. Talismodi halitus propter fœdas pulmonum exhalationes liquorem defœdabit, & medicaminis vim infringet, quod vel exinde patet, quia halitu oris phtiſis propagatur, ceu docet *Septal. Comment. in Ariſt. Probl. p.* 381. & Exemplum memorabile narrat *Phil. Salmuth. Cent.* 3. *Obſ.* 64. Halitus oris quid poſſit, qui oculorum curæ incumbunt, uſu apprehenderunt, qvare ne ille oculis affectis nocivus exiſtat, fœniculum mandunt dentibus pro halitus alteratione. Et quod ſæpe vulnera & ulcera tardius curentur, non minimam culpam puto in Chirurgos eſſe rejiciendam, utpote qui, dum vulnera deligant, halitu oris ſæpe fœdisſimo illa afflant, & fermentationem corruptivam appoſito Medicamento contrariam ſic excitant. Quamobrem ne Chirurgus, prout dictum, lædat aut lædatur, ſvaderem,

derem, ut aut poſteriorem modum eligeret, aut halitum maſticatione radicis alicujus alexiteriæ corrigeret. Hæc de modo applicandi.

§. 22. Jam de liquore infundendo, qui Tibi, ceu §. *46.* ingenue fateris, ſcrupulum aliquem adhuc movet. Fateor in hujus cognitione inventi cardinem verti : imo niſi hic innoteſcet, tota hujus inventi collabetur ſtrues. Dicis autem, vel hunc eſſe debere naturæ ſalinæ, vel Sulfureae, vel cum miaſmate pravo homogeneae. E ſalino genere tibi arridet Spiritus ſalis ammoniaci, cui virtutem diaphoreticam & inciſivam tribuit *Excell. Schræderus l. 3. Pharmacop. c.* 25. Nec incongrue hunc adhiberi obſervatio & experimentum *Olai Borrichii*, quod Nobiliſſ. *Bartholinus Diſſ. Anat. de Hepate defuncto circa finem*, demonſtrat ; ita vero habet : Cl. Vir *Olaus Borrichius*, Collega & amicus, nuper valido cane vivo ſecto ſtatuit quinque vaſcula vitrea ordine, quibus infuſus erat Spiritus aceti, ol. Sal. Tartari per deliqvium, ſolutio aluminis, Spir. Salis ammoniaci, Spir. vini ; in ſingula

ſingula vitra ex arteria ingvinali calentem ſangvinem infudit ; inſpexit poſt intervallum & plenius poſtridie omnia, obſervavitqve, ſangvinem, cui affuſus erat Spir aceti, redditum nigricantem, inſtar ſangvinis melancholicorum, ſedimento craſſo, copioſo, atro, ſupernatantem liquorem pene etiam atrum: cui affuſum ol. Sal. Tartari, redditum coloris ſic ſatis floridi, ſed turbidiorem liquorem, ſedimentum nullum, ramenta tantum fibrillarum inſtar hinc inde conſpicua: cui affuſa ſolutio Aluminis, redditum inſtar putidæ & ſubcineritiæ putrilaginis, omni ſangvinis colore prorſus abolito : cui affuſus Spiritus vini, redditum turbidiorem, quam cui ol. Sal. Tartari ; cui Spiritus Salis Ammoniaci, redditum omnium elegantisſimum, colore floridum, ſubſtantia tenuem, in fundo ſedimentum diaphanum inſtar gelatinæ ribium.

§. 23. An ad Opiatorum aſylum hic confugere liceat, dubitas, & ipſe tecum. Medicamenta ſomnum conciliantia ſiſtere vel figere Spiritus, & quaſi torpidos reddere, ſtuporemque inducere, in confeſſo eſt, ideoque iis abſtinere debet

 Medicus

Medicus , ubi expellere animus eſt *Giſeler. c. l. Obſ. 36.* Hinc paucis ex peſtifero contagio Phreneticis parva doſi in principio data, oborto nempe ſudore profuiſſe, idem affirmat *Obſ.* 42.

§. 24. Sulphurea quod ſpectat, ea, quæ *Petro a Caſtro* de his mens fuit, *Hippocratis* quadrat experientiae , ut apud *Kircherum c. l. S. 3. p. m* 358. legere eſt, qui in ſulphuris & ſulphureorum laudes totus fertur, & ea de cauſa illud θεῖον vocatum a *Dioſcoride l. 5. c. 78.* aſtruit. Iisdem encomiis Balſamum Sulphuris obruit *Unzer. tr. de Sulphure aſſert.* 1. *p.* 51. Quae celeberrimi *Kircheri* opinio ut repudium non meretur, ita alias adhuc dari cauſas, ob quas Sulphur θεῖον ſ. divinum audiit , non negandum. Fulmen, cui aliquid divini ineſſe ſibi perſvaſum habebat gentilitas, odorem ſpirat ſulphureum , hinc fulmen ſulphur ſacrum dicitur *Perſio Satyr.* 2. *v.* 25. qui hæc de Jove:

Cum tonat ocius ilex
Sulphure diſcutitur ſacro.

In luſtrationibus ſive purgationibus itidem fuit adhibitum, quod ex *Apuleji*

l. II. *de aureo aſino* patet, ubi haec leguntur verba: Simulacris rite diſpoſitis navem faberrime factam picturis miris Ægyptiorum circumſpectus variegatam ſummus Sacerdos teda lucida & ovo, & ſulphure ſolennisſimas preces de caſto praefatus ore, quam purisſime purificatam Deae nuncupavit dedicavitque, quo de plura in hunc locum annotavit *Beroald. p. m.* 714.

§. 25. *Willisſii* ſententia §. *50.* allegata non ita plana eſt, & clara, ut planiorem & clariorem non expoſcat dilucidationem, cum multis adhuc ſit obnoxia ſcrupulis. Non ſemel interim admiratio mentem meam ſubiit, cur Bufo venenum traheret e bubone, & aranea ipſa appoſita & trita reſiſtat puncturae, ab ipſa factae, cur itidem aranea veneno bufonis fiat antidotum, & Thora juxta Anthoram ſata felicius creſcat.

§. 26. Modum, quomodo medicamentum ſive liquor in venam intruſus operari debeat, aperis §. 53. dum ſcribis: ope cujusdam liqvoris penetrantioris novam quaſi in ſangvine fermentationem ſuſcitari, qua fibrae utcunque rurſus

ſus diſſolvantur, conjiciendo corpus artificialiter admodum in febriculam, tanquam morbum minorem &c. Sententiam hanc Tuam fulcis oraculis *Hippocratis*, inprimis *aph* 57. *S.* 4. Si cui convulſione aut diſtentione nervorum detento febris ſucceſſerit, morbum ſolvit; cui addi poteſt *S.* 6. *aph.* 57. Verum auxilium ab hoſte peti, quis non videt? Praeſupponitur hic (α) Naturam eſſe victam, vel, ut cum Helmontio, *Tract. Ignotus hoſpes morbus*, *n.* 89. loquar, jacentem, morbum contra, victorem & ſtantem. Jam vero absque Naturae ope qvi medetur, fruſtra medetur. Fruſtra fermentationem quis excitare nititur, ſi Archeus impetum faciens auxiliatrices ipſi non aſſociet manus?

§. 27. Et licet (β) concederem, fermentationem poſſe excitari & febrem a Medico, anne illa morbo aequabiliter auferendo ſtatim reſpondebit? cum proportio inter agens & patiens utique requiratur. Si levis erit febris, affliget potius Naturam, qvam juvabit: ſin acuta & vehementior, illa Naturam, cui

morbus

morbus intimius nupſit, de virium dejiciet robore, ut ſic palmam morbo porrigere oppido cogatur.

§. 28. (γ) Venenum fixum & in circumferentia haerens, excitata fermentatione volatile factum, centrum ſubibit cordis, & morti portam aperiet & feneſtram.

§. 29. (δ) Natura ſit adhuc vegeta; fermentatio in ſangvine ſuſcitata; febris proportione reſpondeat morbo; an idcirco ſudor (hunc enim ut excitemus, ſudamus) in inſtanti ſeqvetur? Conſidera febres ardentes, febres ipſas malignas & peſtilentiales, quantam ſangvinis ebullitionem, quantam fermentationem cauſantur, & tamen raro, niſi critice, huic ſuccedit ſudor. Quod ſi hoc evenit, dum Naturae robur morbo palmam adhuc facit dubiam, quid fieret viribus a morbo proſtratis & profligatis?

§. 38. Loca quod concernit *Hippocratis*, nec ea omnium ferunt applauſum. Non omnem febrem tollere Spaſmum, ſed ephemeram tantum, aut levem putridam, *Galenus Comment.* 57.

 fatetur

fatetur. Apoplexiae febrem conferre probat *Zacut.l.1.d.Med.* Princ. *hiſt.q.23. p.*66. *Nymmannus* tamen *tr. de Apoplex. c.*37. ſimpliciter hoc verum eſſe negat, quod nec ipſe *Hippocrates* it inficias. 1. P*rorreth.*2. *aph.* 58. & exemplo filii Numeni confirmat *Galenus in h. l. comm.* 2. adeoque ob hanc cauſam illud remedium minus tutum pronunciat *Sennertus lib.*1. *Prax. part.* 2. *cap.* 27. *pag.* 555.

§ 31. Sed qvo dilabor? Quid ſcintilla ingenioli & judicii mei ad facem Phœbeam judicii Tui defaecati? Quid gutta doctrinae meae ad immenſum eruditionis Tuae Oceanum? Claudo hoſce rivulos, magnum in modum Te, Vir excellentiſſ. rogitans, ut haec ingenii mei crepundia faventibus luſtres oculis, & pro celebri Humanitate Tua in optimam partem interpreteris. Quod ſi hoc cum paucis lineis reſponſoriis a Te, Vir celeberrime, impetravero, magnam deſiderii mei partem aſſecutus mihi videbor, meumque in id unice incumbet ſtudium, ut tuo velificetur honori et favori. Vale.

Ilenburgi
Calend. Mart. 1665.

EPISTO-

EPISTOLA II.
DE CHIRURGIA INFUSORIA
& aliis novis inventis.
Idem Eidem

LIPSIA *KILONIUM.*

S. P. D.

NE grave ſit, iterum Te ſalutantem benevolentia & humanitate Tua oties celebrata excipere. Nominis Tui celebritas, qua orbem, admirabiis tua eruditio, qua doctos, indefeſſa nduſtria, qua Medicinam, reples, exilaras, auges, tantum apud me valuerunt, ut calamum amplius inhibere on potuerim. Calcar addidit huic neo conatui nuper per Dn. *Jac. Barne-um* Tui facta mentio, qui literas meas udum ad Te exaratas, Tibi non inratas fuiſſe, confirmavit. Excuſſo roinde omni rubore de eadem ferne materia pauca qvaedam adhuc Teum verba facere conſtitui. Antevam vero id faciam, non poſſum

non tacite mihi ipſi gratulari, quod ad Te ſcripturo nova Tibi gratulandi ſe mihi offerat occaſio. Priores literae ad Te datae, quod in ſinum ſuum Te ſuſceperit Hamburgum, Medicumque Loemicum conſtituerit, gratulationem votivam in fronte ferebant. Quid mirum, ſi eam itidem foveant ſecundae, dum ſparta Tua Hamburgi ſecundis avibus probe defunctus, novum novae in Cimbria Academiae fulges lumen, dum Profeſſionis in arte noſtra ornatus titulo, eandem reſtituis, reſtitutam excolis, excultam vero toti mundo videndam ſiſtis. Pulchrum factum! Conſtitutus vivis Vir excell. hic in Theatro, in qvo ampliſſimi Tui ingenii radios & dotes in totum transfundere orbem artisqve filii iisdem ut coruſcent, efficere vales. Adſit Tibi ſummi Archiatri gratia, qvo Te diu colamus ſuperſtitem Scriptorumqve tuorum Aurora toti arti medicae propediem, quem ſpondet clarum lucere faciat diem.

§. 2. Caeterum cum Te jam totum in Chirurgia illuſtranda ac excolenda occupatum teſtentur Deliciae tuae hy-

berna

bernae nuper luci publicae donatae, rem non ingratam Tibi futuram ſpero, ſi, ut modo dixi, pauca qvaedam circa tria tua nova inventa addam. Inventionem Chirurgiae Tuae & ſibi tribuere videtur *Cl. Elſholzius*, ut non ſine cauſa mireris, cur Tui in *Clyſmatica nova* ſicco calamo praeterierit mentionem. Experimenta vero ejusdem multum ſane lucis praefato tuo invento affundunt. Quod in homine eandem facilius procedere ſcribit, ac in canibus, facillime ipſi largior. Utitur iſte in hunc finem inſtrumento clyſmatico, quod commodius eſt, quam fiſtulae aut tubulo alligata veſicula, qvia majori cum impetu in venam intruditur liquor, altiusq; venis hoc modo inflatur. Felicius id procedet, ſi roſtro aliqvantiſper incurvato hoc inſtrumentum gaudeat. Lancettam loco Phlebotomi qvando eligis cum eodem, facile meum aſſenſum reportas. Placet cumprimis vulnus longitudinaliter ſectum, cum ob alias cauſas, tum quia Sangvis minori cum impetu videtur egredi, liqvorisque ingreſſum non ita ſufflaminare.

§. 3.

§. 3. Miror interea, cur medici timidiuſculi aegris non perſvadeant, ut hanc divinam operationem, morborum confirmatorum averruncum ſtrenuum, admittant, ſanitatem ut recuperent priſtinam. Commendavit hanc in ſuo de Peſte ſcripto nuper *Cl. Erpenius* ſummo *Horſtio*; an vero contra hydram hanc praefato uſus fuerit Hercule, nondum mihi innotuit.

§. 4. Te, Vir excellentiſſ. eandem in brutis & hominibus tentaſſe, nullus dubito: miror tamen, cur nullam experimentorum factorum invento tuo primo adjeceris mentionem. Reſervaſti forſan eadem Chirurgiae infuſoriae propediem edendae, qvam ne docto amplius invideas orbi, hiſce obnixe ſollicito.

§. 5. Cauſa, cur abſtineant ab hoc opere Chirurgorum & Medicorum manus, non tam eſt ipſa operatio, qvam vexata illa de liquore infundendo, ejusqve doſi, controverſia. Talem omnes reticent, qui in hoc ſtadio ſudarunt, imo de illo ipſo certi quid proferre, piaculum putant. Una omnibus vox, talem

eſſe debere liquorem, qui non ſangvinem, aut potius ſal in ipſo volatile figat & praecipitet, morboque ipſo majorem corpori minetur noxam.

§. 6. E ſale centrali naturae eundem parari poſſe, voluit nuper Vir quidam clarisſimus; ſed illud inter entia rationis repoſuit Chymiater eminentisſimus. Mercurium univerſalem commendat *Tackius*, ut & ſulphurea, tincturam ſolarem, cygnum in fonte ſapientiae ſubmerſum, poſt mortem reſurgentem ſe ipſo candidiorem, inque Phœnicem rubicundum abiturum. Sal liqvidum volatile Sylvianum hic aliquid poſſe, dictitat *Auguſt. Henr. Faſchius, Ord. & method. cognoſc. Cauſum, cap. 41. pag. 80.* Talis generis hic liquor poteſt eſſe, ulterius pergit, cujus deſcriptionem Chymiae cupido hanc proponimus. Aqvila eſuriens ſeu volitet, ſeu in nido haereat, putreſcit in fimo, tandemque per novam generationem reſuſcitatur, juvenis facta eleganter niteſcens, cui niſi maturo tempore ſtruatur nidus, volat in auras, nec amplius oculis ſe ſubjicit noſtris. Oedipum talia reqvirunt,

runt, non Davum, & abſque vatibus & Prophetis non facile intelliguntur. Queis haec Eleuſina rimari non licet, particularia, pro ratione morborum & indicantium, adhibeant. Poſſem quidem circa hoc negotium quaedam balbutire, ſed cum experientia eo modo, quo debet, mihi non ſit a latere, abſque ejus ſatellitio prodire erubeſco. Dicant id potius ad clavum artis noſtrae ſedentes Dictatores, qui ſi hac in re meam confirmabunt ſententiam, magnum in modum ingeniolo meo gratulabor.

§. 7. Infudi hactenus ſulphurea, acida, narcotica, purgantia, canibus ſaepius: id tamen teſtari poſſum, me unius liquoris infuſi diverſos ſaepe deprehendiſſe effectus. Hoc cumprimis notatu dignum, qvod non tantum purgantia, ut ipſe in *Prodromo* §. 44. notas, etiam in majori doſi canibus propinata, nil proficiant, ſed & opiata. Dedi namqve aliqvando XVII. grana opii crudi cani, in qvo tamen ne minimam quidem ad ſomnum propenſionem animadverti. Contra vero, ſi venis inſtillentur, ſolennem concitant effectum.

§. 8.

§. 8. Quae curioſum animum exercere poſſet, haec eſſet quaeſtio: An Chirurgia infuſoria in fœtu in lucem edito adminiſtrari poſſit per vaſa umbilicalia, ut ita non tantum a morbis futuris praeſervetur, ſed & ab haereditariis liber degat? Multa ſvadent hanc operationem; Venularum patentia, via recta, qua ad epar, & ab hoc ad cor fertur ſalutaris hic liqvor, prout ſanguinis in fœtu circulatio a *Maurocordato, Inſtr. pnevmat. Circ. ſangv. c.* II. *p.* 95. tradita id confirmat. Poſſet & haec adhiberi, qvando fœtus exanimatus fere lucem adſpicit, ſi non tantum balneetur in vino, ſed & vini Malvatici aliqvot guttulae hoc modo ipſi infundantur. Tentavi hanc operationem, quamvis difficillime in hoc procedit, in catello, qui modo in lucem editus erat. Infundebam ipſi aliquam portiunculam ſpiritus vini Rhenani; & praeter ſolitum incaleſcebat; paulo poſt ſuperinjiciebam aliqvot guttas liquoris narcotici, & en! horrore percutiebatur, & ſtupidus evadebat. Elapſa ſemihorula de purgante paululũ inſperſi, & alvo ſoluta

ad

ad ſe redire videbatur. Plura non addo, ne in Humanitatem Tuam peccem.

§. 9. Ad alterum Tuum inventum paucis me converto. Ingenium ſapit haec genuina Chirurgiae Tuae ſoboles, Transplantatio, a nullo, quod ſciam, ante Te propalata. De Transplantatione mumiali multa *Tenzelius in Medic. diaſtatic.* de hac vero Tua altum apud omnes ſilentium. Hoc unicum tantum recordationem ſubit meam, in Anglia pariter eandem ex parte demonſtratam fuiſſe a *D. Entio*, prout a Medico Doctore, qui ad tempus Londini vixit, mihi narratum. Affirmavit mihi praedictus *Entius*, ſe velle unius hominis ſangvinem in alterius corpus derivare, ſi modo congruis inſtructus eſſet inſtrumentis. An vero in uſum, uſum ut praeſtet, trahenda haec Transplantatio, vix credibile, niſi in iis, quos haemorrhagia ad internecionem usqve defatigavit. In caeteris contra, v. g. Cauſario, Phtiſico, Hectico, qui hoc modo ſangvinis purpuram depravatam emaculare conatur, aethiopem lavat. Cauſa in promtu eſt, quia ut ut aliquot

unciae

unciae ſangvinis puri venis, impuritatum amurca refertis, infundantur, nec tamen priſtinus nitor redibit cruori, nec vigor:

Sincerum niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit.

§. 10. Aliquando ſangvineus liqvor viſciditatis peculiaris ſatellitio ſtipatur, ut vena aperta nil effluat, quam ſangvinis bonitas; fex contra humorum excrementitiorum venarum canalibus infixa, relinqvitur, iisdem non raro ut mucus inteſtinis adhaeret, cujus portiunculas dum ſecum aliquando inciſa vena violenter erumpens ſangvis educit, membranas albas, ſangvini innatantes, mentitur, ut tale quid in Paſtore quodam, Scirrho epatis laborante, deprehendit Beatus meus Parens. Ut igitur pauca fermenti portiuncula totam maſſam fermentare facit; ita & relicta in venis impuritas totum ſangvinem. Non addam tonum viſcerum in talibus inſigniter laeſum, eaque aliquando ſcirrhoſa & corrupta deprehendi. Quid ergo commodi praeſtabit ſangvinis floridi in venis portiuncula ſtagnans,

C niſi

niſi & illa a vitali & mumiali balſamo
condiatur, aqve ſpecifico viſcerum
fermento impraegnetur? Traham huc
illud Poëtae:

Non minor eſt virtus, quam
qvaerere, parta tueri:

§. 11. Tertium inventum verticis
inunctio vocatur. Qvae de topicis
morborum, oppido merentur calculum:
Non miror, Te ad verticem reſpexiſſe
in hoc, ob rationes a Te allatas: hoc
tantum miror, cur non idem umbili-
co asſignaveris, huncque illi praepoſu-
eris. Non tantum Umbilicus centrum
eſt abdominis ſeu ventris, ſecundum
Elsholz. Anthropom. c. 24. pag. 231. ſed
in illo centrum gravitatis totius corpo-
ris non ſine cauſa eſſe voluit *Helmontii
Filius*, *Alphab. Natur. Colloq. 4. p. 27.*
Commoditatem itineris a verticis vaſis
ad cor allegas: ſane commodiorem
medicamentorum viam ab umbilico ad
ipſum cordis centrum vix habebis:
Petit nempe huic communicata vis ſta-
tim ipſum hepatis parenchyma, & ab
hoc a venae cavae propaginibus exce-
pta, ipſum cordis atrium. Perſpira-
bilem

bilem eſſe illum capitis tractum adſtru-
is; verius hoc ad umbilici clima trahi-
tur. Qvid enim umbilicus aliud, qvam
ſenſibilis & conſpicuus abdominis po-
rus, per quem ſine dubio validisſima
diaphragmatis compresſione fit exſpi-
ratio & inſpiratio aeris ſenſibilis. Pro-
bant id topica umbilico ſumma cum
utilitate appoſita in praecipuis corporis
noſtri morbis. Illuſtraſti hanc meam
ſententiam, *invent.* 3. §. 9. inqve eam
abire penitus, mihi videris. Cordia-
lia refrigerantia & calefacientia epati-
ca huic admota, multum profuiſſe me-
mini, & emplaſtra fœtum roborantia
& abortum praecaventia fœtui & matri
in ſolatium cedere, quis eſt, qvi neſcit?
Si gravidam purgare geſtias, ventri, in-
primis regioni umbilicali, panem to-
ſtum cum Nuce moſchata *Grembſius*
apponit. Et olea & balſama ſtoma-
chica hic commodum invenire locum
in dyſenteria ante aliqvot annos epide-
mica pluribus obſervationibus depre-
hendi. Cucurbitulam ingentem cum
multa flamma umbilico impoſitam, in-
cantamenti inſtar colicae tyranni-

dem compeſcere, ex antiqvis *Galenus* & *Aetius*, e recentioribus vero Experientisſ. *Balth. Timæus a Güldenklee lib. 3. Epiſt. 9. pag. 167.* expertus eſt. Nec plebi hoc ignotum, qvia non tantum lateres & marmora calefacta, ut olim *Trallian. lib. 10. cap. 1.* ſed & fila cruda (Rohe Garn) quod in Hetruria faciunt, notante *Solenandro*, admovent. Et recte monet *Hartmannus in Praxi*, Balſami Apopl. aliqvot granis Zibethum animatum, & umbilico illitum, multum praeſtare.

§. 12. Sed cur haec prolixius, qvam deberem, Tibi propono? cui haec vilia facile ſtomachum ac bilem movere poſſunt. Sufficiat mihi, in his ſublimioribus aliquid tentaſſe. Si aberravi, in viam errantem, qvaeſo, reduc, Tibique a benigniori cœli influxu infuſam Humanitatem in haec ingenioli mei dumeta transplanta, favorisque Tui balſamo ejusdem debilitatem corroborare non abnue, meque, ſi dignum judicaveris, amare perge. Servet Te DEUS, artis noſtrae ocellum!

Lipſiæ,
Calend. Jun. Ann. 1667.

EPISTO-

EPISTOLA III.
CHIRURGIA INFUSORIA. PLANTÆ MONSTROSÆ. TABULÆ PHYTOSCEPTICÆ.

D. Joh. Daniel Major

Christiano Friderico Garmanno

KILONIO *LIPSIAM*

Salutem & amorem.

NOn minus animo grato, quam hilari manu tuas alteras accepi, doctri-nam aeque, ac favorem Tuum in me bunde conteſtantes. Qvantum inge-nium Tuum miratus ſum & de conſtan- in Chirurgiam meam infuſoriam ſo-citudine laetor: tantum vicisſim do-lo, quod temporis injuria & concate-natae in dies occupationes, curam rei miliaris praeſertim concernentes, olentem me ad adeo pertinax ſilenti-m adegerunt: id quod meritisſimo gre ferres, niſi pro candore meo & romta in bonos quosvis officioſitate, larisſ. Dn. *Baruerus* noſter, data oc-

 caſione

caſione peramice ſalutandus, noviter penes Te, nec ſine efficacia, peroraſſet: Unde obliterata omni in poſterum mali de me ſuſpicione ex animo tuo, firmiter hoc credas, mihi nihil gratius fuiſſe hactenus, & porro fore, literaria Tua converſatione, ad quam etiam juſta reſponſione de dubiis Tuis eruditisſimis, mihimet communicatis, calcar adderem, niſi pleraque, quae ſcribis palato meo ſint valde conformia; ad reliqua vero, ſicut ad aliorum Clarorum Virorum dubia, reſponſiunculae meae in dies hic ferveant ſub praelo. Unde laborem ſcribendi aut transſcribendi nolens, imo vix ſufficiens etiam, quia Impenſor poſtulatione operis, Typographus impresſione ejusdem, & Tempus reſiduum aliis occupationibus me urgent, amice peto, qualemcunque quae usque ad perfectionem opuſculi nunc ſupereſt, morulam aegre ferre nolis. Neque in gratiam rei Botanicæ cujus illuſtrationi magna cum laude incumbis, quicquam poſſum conferre nunc, niſi hoc unum, quia de Plantis monſtroſis aliquid edere cogitas, de

quo

quo Tibi ac literis ſincere gratulor, notam Clarit. T. indubie fore Sleswici ante biennium editam diſſertatiunculam meam de Planta Monſtroſa Gottorpienſi, Qvo libello viſo, ſimilis plantae effigiem Schwinfurto ante annum, cum mihi transmiſerit Excell. Dn. D. *Joh. Michael Fehr*, Phyſicus ibidem celebratisſ. lubens illam, cum parte epiſtolii Tibimet transmitto, delineandam, ſi ita placeat, & poſtquam illius non amplius opus habiturus es, commoda occaſione retribuendam. Caeterum neqve hoc Te clam eſſe cupio, me hoc anno, quamvis non ſine quodam primum labore ingenii, excogitaſſe in gratiam laudati ſtudii botanici, et ſpartae meae exornandae, fundamentales quasdam Tabulas phytoſcepticas, eo fine ac uſu, ut praecepta generaliora & regulae certae characteriſticae exin formari posſint, reſpectum habentes ad diſtinctam foliaturam ſtirpium, & ducturae plantarum etiam ignaros, ſi modo Tabulas iſtas, aut regulas inde parabiles, plantis vivis, ubicunqve etiam ſibi occurrentibus rite applicent, ad

diſtinctam aliquam ſtirpium cognitionem, ſine omni alio etiam manuductore, vivo, aut muto, imo ſponte quaſi; e. g. ſi plantae alicubi occurrentis, & regulis applicandae, figura, nervorum diſpoſitio, ſitus, &c. ſit talis vel talis; erit plantae ſpecies haec vel iſta, vel alia &c. & ſic conſequenter. Sed antequam omnes, qvae tam *Bauhini* quam ſubſequo tempore cognitae fuerunt, ad meas regulas reſtringam, ſub quibus dein, tanquam exempla tot ſtare debeant, & conferam deſcriptiones foliaturae ab Autoribus datas, cum ipſis vivis, aut ſiccatis, quotquot haberi valeant, exemplaribus, res eſt, ſi occupationes meas alias magis urgentes conſiderem, laboris prorſus infiniti, vel certe ſine Synergo quodam, cui par ſit in negotio tali conſtantia & ardor, haut facile ad umbilicum, quod dicitur, deducendi. Itaque, ſi coram adeſſes, facile Tibi, curis familiaribus, ut arbitror, nondum immerſo, iſtam palaeſtram concederem, me forſan felicius obambulandam. Neminem ſane in tali ſtudio habemus praecurſorem. Sed ut

mittam

mittam haec: Inſertae his literis Plantae monſtroſae Iconi, exemplar primi quaternionis, ad Chirurgiam meam infuſ. praelum jam ſubeuntis, ſpectans adjungere ratus ſum, ut clare liqueat, quam non ingratiis meis ſcripta fuerint dubia Tua, contra illam doctiſſime prolata. Plura alio tempore. Nunc mihi pluries ſalve, & DEO, ac certiſſimae inpoſterum famae literariae ſerio commendatus. Vale. Scribeb. Kiloni, d. 9. Jul. 1667.

Clar. T.

officioſus Amicus
Joh. Daniel Major. D.
& P. P. Fac. Med. h. t.
Decanus.

P. S. Quia CL. Tua in literis ad me mentionem facit Erpenii de Peſte, & Aug. Henr. Faſchii Diſſert. (forſan Diſputat. Jenenſ.) de ordine & methodo cognoſcendi cauſum; nec ſcriptorum eorum copia in Bibliopoliis noſtris eſt, quaeſo valdopere, ſi potes, utriusque rei exemplar unum proxime ad me amandare velis, impenſas redditurum.

EPISTOLA IV.

DE CHRYSANTHEMO MONSTROSO.

D. Joh. Michael Fehr.

D. Joh. Daniel. Majori

SCHWINFURTO *KILONIUM.*

S. P. D.

CUm diebus hiſce ab Amico qvodam oblata mihi eſſet limatisſima illa Tua Diſſertatio botanica de Planta monſtroſa Gottorp. Ultrupienſi, mihique non deeſſet ejusdem cum poſteriori Ideae Chryſanthemum, idqve forſan monſtroſius & elegantius, nolui Excell. Tuae id celare, ut cum illis in aciem productum ludentis Naturae vires & ſolertiam humanam eludentis, vel potius excitantis ſummi Conditoris Sapientia exinde clarius eluceſceret. Eſt autem hoc Chryſanthemum noſtrum natum hic anno 1661. inter avenas & ex vulgatisſimo illo genere, qvod foliolo-

foliolorum cincinnis & floribus fere cum chamemelo vulgari convenit, floſculorum ſaltem foliolis diſcum aureum ambientibus itidem aureis differens, quae in Chamomilla alba ſunt, ut in Bellide ſylv. ſeu buphtalmo; noſtratibus dicitur Gold-Blümlein, Johannis-Blümlein, Lungen-Blümlein, ab uſu, eoque agri noſtri praeſertim ſteriliores tantopere nonnunquam luxuriantur, ut procul intuentibus aurei plane appareant. Proliferam proprie dici poſſe Plantam hanc monſtroſam (liceat haec mihi cum pace Tua, Nob. Vir, addere) vix adducor, ut credam, non enim ex uno flore (quod proliferorum proprium eſt) alium ceu fœtum novum ex utero ſuo enititur, velut id in Calendula, Primula veris, Bellide Sativa, Chryſanthemo Peruviano, floribus tunicis, ſaepius & Roſa centifolia hoc anno hic obſervavi, ſed e pluribus, iisque arctisſime concretis & tenuisſimorum filamentorum inſtar ceu ſtamini trama ſua artificioſisſime contextis ſcapis floſculos ſuos in fimbria congeſtos & conſertos proferat, partim ſingulos & ſeparatos,

paratos, maximam autem partem anguſtisſime counitos, ita ut vix numerum eorum inire liceat: in Chamomilla vulgari itidem notavi plures flores ſimili modo unitos, uni quidem ſcapo, ſed eo latiori insſidentes: Uva monſtroſa, quam antehac cum Nobilisſ. noſtro Phoſphoro communicavi, videatur in ipſius Ampelographia; nec deeſſent hujus rei plurima, ſi aut otium ſupereſſet, aut viarum longinquitas non obeſſet. Iterum vale Nobilisſ. Vir, cum lectisſ. & dilectisſimis, ut in literis, & Fratrem meum germanum Samuelem Fehr Chirurgum Dietmarſum de meliori Tibi habe commendatum.

EPISTOLA V.
DE CHIRURGIA INFUSORIA. TABULIS PHYTOSCEPTICIS BOTANICORUM PRÆTERLAPSI SECULI. ERPENII TRACT. DE PESTE.

D. Joh. Daniel Majori
Chriſtian Frider. Garmann

LIPSIA *KILONIUM*.

S. D. P.

Accepi

ACcepi Tuas Vir Nob. ad me datas, easque ſumma cum delectatione, juxtim & rubore non ſemel percurri. Quae enim Tua Humanitas eſt , quod ingenioli mei cogitata animo grato ac hilari manu ſuſcepiſti, ſuſceptaque literis ſummorum virorum adjungere, & cum illis publice exſtare voluiſti? Sane ut fateor, nunquam ea intentione haec ad T. E. exaravi, ſed ea ſaltim de cauſa, ut Tibi tam Nobilis Inventi Inventori partim gratularer , partim ulteriorem in hac ardua materia informationem peterem. Quo meo merito factum eſt V. N. quod me non ſolum Amicorum Tuorum Albo inſcribere, ſed & immerentem tot laudum cumulis obruere dignatus es? A tanto Viro laudari veram mihi quidem duco laudem, quod vero ea, quae in mea tenuitate coruſcare aſſeris , vix ſcintillent, ſummopere doleo. Indefeſſam interim, hoc Tuo praeconio incitatus, inſumam operam, ut ſubſequo tempore eorum, quae in me optat potius quam praedicat T. E. aliquando umbram

ſaltim

ſaltim oculis ſe legiſſe, docta judicet poſteritas. Caeterum multa adhuc ſuperſunt, quae primam Epiſtolam illuſtrare, & ad eandem ſpectare videntur, illa aſſertio, qua quaedam venena ſangvinem congelare dixi, exemplo Cicutae *Plinius l. 25. hiſt. nat. c. 13.* confirmat. Quaedam contra eundem tenuiorem & ſubtiliorem reddere, praeter illam *Agricolae* hiſtoriam, etiam obſervatio *Joh. de Laet l. 15. Rer. American. c. 6.* quam etiam repetit *in Notis ad Georgii Margravii hiſtor. rer. nat. Braſilienſ. lib. 6. c. 13. p. 240. Tit. Ibyara,* declarat, de Ibyracua ſerpente, cui tam vehemens virus cenſetur, ut homini, quem momorderit, quantocyus ſangvinem ex oculis, auribus, naribus, gutture & inferioribus corporis partibus expellat, tanta copia, ut niſi ſtatim ſubventum fuerit, emoriatur. Reliqua circa Chirurgiam Tuam obſervata lectis prius ſummorum Virorum judiciis, ſuo tempore communicabo. Diſſertationem Tuam de Planta monſtroſa Gottorpienſi dudum legi, haecque ut id argumentum plenius mente involvere

aggrederer,

aggrederer, incitamento fuit. Chryſanthemum monſtroſum Exc. Fehrii ſumma cum voluptate luſtravi, muſteamque ejusdem adjunctam Epiſtolam. Et in hac parte Tuam exoſculor facilitatem & candorem, remittamque proxima occaſione ejusdem cum literis Iconem. Quae de Tabulis Phytoſcepticis ſcribis, egregia ſunt, & a qvibusdam ſuperiori ſeculo quidem tentata, abſoluta tamen minime. Prodiit Argentorati anno 1552. excudente Wendelino Rihelio Herbarium *Tragi*, a *Davide Kybero* in latinam lingvam converſum, cui corollarii vice adjectus eſt *Benedicti Textoris Seguſiani* de ſtirpium differentiis ex *Dioſcoride* ſecundum locos communes, libellus. Notat praedictus Autor in praefatione ad Lectorem (quae habetur p. 1130.) ſe huic labori accinxiſſe inſtinctu *Jacobi Sylvii* ut proclive ſit eundem tanquam filum ſeqvuto primo ſtatim occurſu deprehendere ſtirpem, nec antea viſam. Addit qvidem, ſe velle illud opus e Theophraſto & aliis illuſtrare, an vero id praeſtiterit, nondum mihi conſtat.

Poſt

Poſt hunc Tabulas in eundem forſan
finem de ſtirpibus & eorundem partibus
e Theophraſti praecipue libris confecit
Conradus Geſnerus, quas Tiguri anno
1587. edidit *Caſpar Wolphius.* Noſtro
Seculo cumprimis eo ſuum ſtudium
beatae Tuae Conjugis Avus *Exc. Sen-
nertus* direxit, *in Epit. Phil. nat.* ut
certis cancellis infinitum fere Planta-
rum includeret cumulum, cujus ductum
in *Herbario portatili* ſecutus eſt *Th.
Pancovius.* Vides igitur V. N. quanti
habitum fuerit etiam majoribus noſtris
hoc Tuum propoſitũ, quantique facturi
ſint id poſteri, ſi e Tuo prodeat id inge-
nio. Et quamvis laboris id videatur infini-
ti, nae tamen proinde labori cedas velim,
firmiter credens, nihil virtuti eſſe invi-
um, nec quicquam erudito orbi cedere
fructuoſum, niſi inſimul ſit & laborio-
ſum. Optas ipſe coram adeſſem, Teqve
in hoc ſtadio ſudantem juvarem. Opta-
rem ſane & aſpectu Tuo frui & alloquio
an vero hac in parte Exc. T. operas ſub-
levare valerem, vix perſvadeor. Qvod
ſi tamen inſtituti Tui rationem, modum
& methodum me clam eſſe nolles, fir-
miter

miter Tibi perſvaſum habeas, me omnem operam in id locaturum, ut tam nobile pariter ac utile promoveatur inſtitutum. *Cl. Erpenii Tr. de Peſte* quod ſpectat, prodiit ille Durlaci 1666. non nominato Autore, ſub hoc titulo: Ordnung/ wornach man ſich bey ietzigen Läufften gegen angedräuete Land Seuche in der Marggraffſchafft Baden und übrigen dazu gehörigen Herrſchafften und Landen zu verhalten. Peculiaris medicamenti antipeſtiferi in eodem facit mentionem quod Margaritas minerales vocat. Miſit proinde eundem ad *Magnif. Dn. D. Michaelem*, ut non tantum propriam ſuper hoc medicamento pronunciaret ſententiam, ſed & Clariſſimos hac de re perorantes viros alios audiret. In praedicto Tractatu vero & de Tua Chirurgia haec protulit verba: Verwundere mich/ bey dieſem Engliſchen remedio, des Kröten Pulver / daß ihr Collegium Medicum Experimentale bey ihm annoch anhaltenden Peſt/ Clyſmaticam ſangvinis nicht völlig legitimiret/ und ſtehet zu hoffen/ der Weltberühmte J. D. Horſtius zu Franckfurth / werde bey Gelegenheit

D ihrer

ihrer infection, die ihme von Herr D. Major in protection und Cenſur gegeben ne Chirurgiam infuſoriam durch der exponirte Herren Medicos und Chirurgos in uſus publicos practiciren laſſen gleich dieſer GOtt Lob noch keinen Orten auff ſolchem Fall auch tentiret/ und den ſucceſs fleißig communiciret werden ſoll weil je in dieſer gähen / mehr als in andern Kranckheiten es an expediten Mitteln gebrechen will / welche unfalſch darinnen ſcheinen befindlich zu ſeyn. Die liquores obvios zum einſpritzen in die Adern / aus den penetrantiſten und in dieſer Seuche appropriirſten Spiritibus mit dero eignen extractis ſalibus per Circulationem exaltiret und aufgeſchloſſen/ wird gern geglaubet/ daß neben dieſer ein ex univerſalis Naturae fonte geſchöpffter/ zu dieſem ſcopo der geſchickſte ſey; Soll derowegen hochgedachten Herrn Horſtio mit erſten ein aqua ſicca des ☿ii Philoſophorum näheſte Anverwandtin von einem deſſen alten / und nicht gantz ungerathenem diſcipulo zugeſand werden/damit zu dieſer und andern intentionen weiter zu procediren. &c.

Trans-

Tranſmiſiſſem hujus Tractatus E-
xemplar, ſed unicum tantum vidit Li-
pſia noſtra, idque habetur in Bibliotheca
laudati D. Michaelis. Faſchii inaugu-
ralis Diſſertatio nec hic, nec Jenae am-
plius proſtat. Ut igitur deſiderio E.
T. ex parte ſatisfaciam, meum Exem-
plar tranſmitto. Adjunxi huic Diſcur-
ſum Phyſico-Medicum de Gemellis &
partu numeroſiore a me nuper hic lo-
ci ventilatum. Prodiit hic ſub celeber-
rimi Tui nominis auſpiciis, ut obſer-
vantiam & honorem diu Excell. T.
debitum ex parte declararem. Aſpice
& perlege eundem fronte ſerena, ocu-
lis amicis, nec chartarum tenuitatem,
ſed affectum aeſtima. Salve interim
vicisſim mihi pluries Vir Nobilisſime,
DEOque ſerio commendatus Vale.
Lipſ. die 28. Jul. 1667.

VI.

DISCURSUS DE GEMELLIS ET PARTU NUMEROSIORE PRÆLUDIUM

Chriſtiani Friderici Garmanni
Med. Bacc.

QUi hominem microcoſmi nomi-
D 2 ne

ne donarunt, multum quidem ad ejus perfectionem, minus vero ad hujus perfectionis excellentiam reſpexiſſe mihi quidem videntur. Fateor enim cum *Olympiodoro*, ut dies parvus annus; ita & homo parvus mundus. Declararunt hoc ſolertiores hujus argumenti indagatores *Mizaldus*, *Nancelius*, *Tidicæus*, *Licetus*, Caſtrenſis, & id beneficio Anatomiae Eſſatae abunde ſe demonſtraſſe ubique fere jactat *Paracelſus*; Scilicet & in homine ſplendet firmamenti jubar, in eo, ſi dantur, reſident intelligentiae orbium, ſi & has praeſupponere libeat, matrices; Quid ſeptem illa viſcera principaliora, quam interne veluti microcoſmi Planetae conſervationi deſtinati, quid reliqvarum partium ſtructura, qvam tot in cœlis micantium ſtellarum emblemata adumbrata. Qui in ſublanaribus corporibus vigent entis gradus, in homine quaſi concentratos invenio, dum eſt, dum vegetat, dum ſentit. Utut vero haec ita ſeſe habeant, multumque hominis perfectionem illuſtrent, ejus tamen reſpectu totius non plane exhauriunt excellentiam.

Eduxe-

duxerat e nocte Orphei aut orco Hip-
ocratis illud, quod univerſum vocamus,
ummi Numinis omnipotentia, fatigata
idebatur tot ſpecierum creatione, &
n inauditae dat ſpecimen ſolertiae, in
ominis productione veros divinitatis
ıae ſinit lucere radios. Digniſſima
nti operis coronis Homo. Miraban-
ır ante creatum hominem Solis fa-
em & faciem, lunae genas rariflu-
, reliquarumque ſtellarum picturas
ıblunares animae, Aerem undan-
em, Aquam rotunditate mobilem,
erram nobile illud firmamentum
ſpiciebant unice. Homine vero
ondito omnium oculi in oculos ejus-
em vertebantur, mirabanturque &
ntum non adorabant conſpicuum in
odem divinitatis characterem. Et
ne ſi polluiſſent tanto ingenii acumine
animam hominis intueri, mentem-
ıe Sapientia admirandam cognoſcere
ſis licuiſſet, nullus dubito, quin divinis
onoribus illam proſecuti fuiſſent.
abet enim microcoſmus, quod ma-
ocoſmo denegatum, & quamvis ſuper-
s lationibus ſubſtet, aſtris tamen recte

dominari dicitur homo, mensque ejus coeli aemula cœleſtes arces tranſcendere. Ipſe mundus, ſi totum reſpicis, mente deſtituitur, nec animam, qua vivat, obtinet. Finxere quidem Stoici, ut eſt apud *Johannem Damaſcenum* DEUM animam Mundi eſſe, mundum vero DEI corpus, oculos Solem, Lunam & aſtra. Sed quae inde peſſima aſſerta? quippe quae Deum ita Naturae aſtringunt, ut ſine hac nec operari, nec eſſe queat. Animatum voluit Mundum Plato, inde animal eundem vocavit: ſed quae de hac aſſertione tradit, vere Platonica ſunt, hoc eſt, non tam humanis eloqviis quam divinis oraculis ſimilia. Ab Alchymicis mundo Spiritus & Entelechia aſcribitur, ſed nec eorundem aſſerta ſine Vatibus & Prophetis intelliguntur, potiusque circa hanc rem ludentes quam ſerii, meo quidem judicio, eſſe voluerunt. Quae vero homini obtigit mens, vera eſt divinitatis aemula, omnium ſcientiarum ſcaturigo. Dirigit haec corpus, ut mutuo conſenſu unum viſcus alteri auſcultet, mutuoque auxilio, qvo unum alteri ad rationis

nutum

utum aſſit, juvat. Movit id illum ſa-
ientem Romanum, ut concordiae
molumentum civibus ſuis inculcatu-
us e totius corporis harmonia non in-
ongruum nec fruſtraneum ſumeret
rgumentum. Meruit haec tetrachor-
on, quod ab *Orpheo* elementis, con-
entum a *Pythagora* ſtellis, aut a *Fluddo*
uteano & *Kirchero* mundo tributam
onſonantiam. Altius adhuc aſcendit
aec Microcoſmi anima, hominemqve
arvum mole, immenſum aeſtimatione
eddit, dum Solis antevertit curſum,
totius Iliada parvae incluſam nuci cir-
umgeſtat. Putavit inde *Helmont*, ideo
ominem microcoſmum vocatum, quia
mnes omnium rerum ſpiritus ac velut
ſſentiae in nobis latent, & microco-
nicatrice phantaſia duntaxat naſcuntur
educuntur. Aſſequitur id rationis
eneficio, imaginatricis Phantaſiae
uxilio recondit, & recordationis ope
erum depromit. Quocirca totam na-
ram mentis acie verſat, deque ſe ipſo
ertas ſuppoſitiones factas explicat, &
ſeſe deſcendendo anima rationalis
roprias ſibique ſoli cognitas format
 Ideas,

Ideas, propriamque delineare conatur Entelechiam. Fluunt inde etiam tot Artium inventa, quae Naturam, ejusqve opera exacte repraeſentant. Cœlum absque cœlo videre ſi expetis, ejusq; motum globo incluſit *Archimedes*, machinamento horol. pariter vitreo *Kircherus*. Solis motum aemulabatur ſtatua illa Ravennae a *Boethio* fabreſacta. *Art. magn. Luc. & Umbr. P. 2. p. 837.* Si montes, ſi flumina, ſi maria, ſi totum mundum cernere deſideras, Machinam pantoparaſtaticam iterum *Kircherus* docto communicavit orbi, *c. l. p. 837.* Ne quae Chymicorum laboratoria, quae Mechanicorum experimenta, videnda ſiſtunt, afferam, hoc tantum addam, hominis ingenium aliquando ipſius Naturae ſuperare ſolertiam, prout eleganti dudum id delineavit Emblemate *Fluddus*. Unius fere, cujus gratia tamen calamum arripui, oblitus fuiſſem, quod praedictae hominis prae mundo ipſo Excellentiae magnum affundit jubar, individuorum nempe perpetuatae animæ aſſiſtentis virtute propagationis. Unum voluit eſſe

mundum, Mundi Conditor, non plures,
at quidem Alexandro M. Anaxarchus,
ndis Bramanes, Democritus vero
Epicurus & Empedocles toti mundo
perſvadere conati ſunt. Plura contra
humanae ſpei voluit extare individua,
ut continuo generationis & corruptio-
nis fluxu refluxuque ſervaretur praedi-
cta ſpecies, usqve dum tota univerſitate
hac deflagrata aeternitatem ambiret
& conſeqveretur. Hoc pacto micro-
coſmus alterius fit Macrocoſmus, &
fœmina evadit animal Symbolizans in
animali, ſuiqve imaginem peculiari
ſpirituũ Mechanicorum ope meditatur
& concipit. Non immerito indignor
P. J. Fabro, ſagacisſimo alias Chymiatro,
qui tot in mundo mundos dixit, qvot
in eo mixta. Rectius dicere poſſem,
tot in homine mundos latitare, quot ſub
uteri latebris occultat fœtus. Septem
praeter hunc mundum dari mundos
inxerunt Brachmanes, magis congru-
um dicerem, ſeptem, imo plurium
mundorum, uterum ſaepius exiſtere
compendiũ. Digna ſane res, in cujuscau-
ſas accuratiores inqvirant Philoſophi,
 cujusqve

cujusqve hiſtorias exactius excutiant elegantioris doctrinae Medici. Ipſe his Naturae miraculis ineſcatus, dum Cathedram publice adſcendere ſaluberrimae Facultatis Medicae conſenſu mihi licuit, nec digniorem nec jucundiorem, addo & utiliorem materiam proponere, quam praeſentem Gemellorum & partus numeroſioris hiſtoriam, potui. Agite igitur, Auditores omnium Ordinum Honoratisſimi, excipite faſciis carthaceis involutos Gemellos veſtri favoris ulnis, placida cenſurae & diſqviſitionis Veſtrae ventilatione tanquam cunis eosdem agitate, Veſtraeqve eruditionis lacte imbecilliores ſolamini; adoleſcent tandem teneriores quamvis, & idcirco abortus potius quam fœtus dicendi, non autoris, ſed Veſtrae gratiae, Veſtri favoris fotu

Dixi

d. 14. Jun. 1667.

EPISTO-

EPISTOLA VII.

DISCURSUS DE GEMELLIS ET PARTU NUMEROSIORE DEDICATIO.

D. Joh. Michaeli Fehrio

Chriſtian Frider. Garmann

LIPSIA *SWINFURTUM*.

S. P. D.

UT magnos magna decent, ita & curioſos curioſa. Jnde properarunt vel ſponte ſua ad V.Exc. hi mei Gemelli partusque numeroſior. Curioſo digna res eſt ſcrutari haec ſacra, prudentisqve curioſitatis libella examinare. Concernunt hae meditationes ortum Microcoſmi, ſine cujus cognitione exacta nemo, me judice, curioſi nomen digne merebitur. Laudabilis curioſitas eſt in viſcera terrae ire, ortus mineralium & metallorum & lapidum ſcrutari, nec minus commendanda illorum induſtria, quae vegetabilium generationem & nutritionem ſpectat. Fluunt

Fluunt ex horum indagatione tot in Microcoſmum utilitates, ut eas nec calami noſtri aſſeqvi poſſit tenuitas, nec pagellarum harum anguſtia complecti. Dum vero Microcoſmus Microcoſmum ſubit, inqve natales ejusdem ſatis abſtruſos exactius inquirit, rem nec Diis, nec Deorum filiis ingratam, totique Microcoſmo ſalutarem patrat. Vidit id in Ethnica ſua caecitate *Galenus*, inde qvando partes, partiumque corporis noſtri actiones exacte ſcrutabatur, putabat ſe longe gratiorem rem Diis facturum, ac ſi plures ipſis immolaret Hecatombas. Recte hic uſurpare poſſem verba illius Cynici, qui in tuguriolo ſedens fumante praetereuntes alloqvebatur: Ingredimini, namqve & hic (in membris genitalibus) Dii ſunt. θεῖον δημιέργημα λύλωσιν dixit Galenus, quid impedit, qvo minus & hoc de hominis in utero formatione potius pronunciemus. Omnia Deorum etiam in foro Phyſico & Medico plena ſunt, nec ſolum illud τὸ θεῖον morbis, ſed & facultatibus & actionibus partium corporis noſtri tribuendum cenſeo. Sed

cur

cur haec Tibi, Vir Excellentisſime? ut
rationem inſtituti mei Tibi declarem,
& cauſam, cur hunc Diſcurſum Phyſico-
Medicum non tantum conſcripſerim,
ſed & V. Excell. inſcribere non erubu-
erim. Stella es in Cœlo curioſo primae
magnitudinis, radiis ingenii Tui hacte-
nus totum curioſum illuſtraſti orbem,
nde ut & illis coruſcent Gemini mei,
V. Exc. ſinum qvaeſiverunt. Curioſa
atis eſt materia, nil tamen minus prae
e ferunt, qvam doctam curioſitatem.
Cum igitur connatam non habeant,
cqviſitam deſiderant, qvam curioſa
Tua illuſtratione facile illis impertiri
poteris. Qvod ſi fiet, Tibi alias addi-
tum, magis Tibi devincies Autorem,
Gemini hi, ut aliquando adoleſcant
comtiori curioſitate prodeant, eidem
utor eris. Cum vero cumprimis
roblematis circa finem huic diſcurſui
dditi ſolutionem exoptem, circa illud
. Exc. mentem & ſententiam paucis
neis deſcriptam his ipſis ſollicitatum
eni. Prodibunt & futuris nundinis
utumnalibus, DEO volente, Exerci-
tiones meae de Plantis monſtroſis, &

de

de Plantis a Natura inſcriptis & pictis
Schediaſma, ut igitur nullus dubito
qvin multa curioſa de his ſecum ſerve
V. Excell. inde ut illis ipſis opuſcula mea
praedicta illuſtrare dignetur, hiſce de
ſidero. Interim Geminorum meorum
Suſceptorem V. Excell. quod elegerim
& Patronum, boni conſulat, meqve
cultoribus ſuis annumerare dignetur
Lipſiae 17. Jun. 1667.

EPISTOLA VIII.

EJUSDEM ARGUMENTI CUM ANTECEDENTE

D. Philippo Jacobo Sachſio
a Lewenheim

Chriſtian Frider. Garmann

LIPSIA *URATISLAVIAM*

S. P. D.

Nobiliſſ. Vir. &c. Salutat Te tandem rudis meus calamus, umbramque meae in Te Tibi ſiſtit obſervantiae. In cauſam anxius ne inquiras, curve hanc induerim frontem, ne mireris

Totus

Totus orbis literarius in amplexus Tuos ruere deſiderat, Tuosque admi-randos, Phoſphore, ſumma cum vo-uptate excipit radios. Tanquam ovis cerebro delectatur Gammaris uis,qvodve novus eruditorum Gany-medes Nectar ingenii doctis propinaſti, vidis hauſit labris. Qvem igitur fœ-undi hi calices non facerent diſertum? vem non facundum? Pretioſa Tua e Lapidum miranda Natura vere Te obis reddidit pretioſum, & quam late ateat ingenii Tui mare, ſatis abunde-ue nobis declaravit Macro-microco-nicus Tuus Oceanus. Motus proinde uis in rem medicam meritis, ſilere mplius nec debui nec potui. Nec id mplius ſufflaminare valuit mea tenui-s, nec ingenii imbecillitas. Phoſpho-us es, abjectis etiam lucem fœneraris ebus, minima irradias. Inde in lu-em nuper producti mei Gemelli, luci-um Tuum ultro deſiderarunt affectum candorem. Jlluſtravit illos Nominis ui nobilitas, famaeque Tuae ſplendor is aſyli loco fuit. In ſinum proinde uum eos recipere non abnue, hosque ad

ad Te non tam properantes, quam te-
ſtudineo repentes motu, ſuſcipere di-
gnare. Caeterum cum ſciam T. Nob.
Excell. magnopere non tantum curioſi
delectari qvaeſtionibus, ſed & quanto
cum judicio easdem reſolvere poſſit
publica teſtentur monumenta, proble-
ma diſcurſui meo de Chirurgia infu-
ſoria addidi, ut Te, & Excell. Dn. D.
Majorem cumprimis hac de re audirem
perorantes. Prodibunt etiam futuro
tempore, annuente divina gratia, meae
de Plantis monſtroſis Exercitationes, &
de Pictura & ſcriptura in Plantis ſche-
diaſma. Quid de Cauſa monſtroſitatis
& picturae iſtius in Plantis ſentias
Nobiliſſ. Sachſi, & an ſingulares Tibi
hac de re in promtu ſint obſervationes
ne me celes, ſed ſi occupationes per-
miſerint, paucis mihi pro candore &
in omnes literatos affectu Tuo ſignifices
lineolis. Quam gratum erit mihi in
hac difficili materia haerenti Tuum
conſilium, quam acceptum orbi litera-
to, ſi Te facem mihi praeferentem ob-
tinuero Phoſphorum. Totus in eo ero,
ut non tantum publice hanc Tuam faci-
litatem

tatem & favorem celebrem, ſed & onori Tuo velificabor, dum vivam. 'ale Vir Nobilisſime, & rei literariae molumento diu ſuperſtes vive. Liſiae, prid. Calend. Jun. 1667.

EPISTOLA IX.

Reſponſio ad praecedentem.

'RATISLAVIA LIPSIAM.

EXoſculor jure meritisſimo tenerrimum Praeſtantiae T. erga Collegim Curioſum affectum, veneror non ainus eundem, quo me immerentem nullo officiorum genere adhuc obrictum proſeqvitur. Saxeus quidem im nomine, mollisſimum tamen mihi ectus, ut promtisſime moveatur ad ovae amicitiae ab Eruditis oblatae inunda fœdera. Nimius tamen fuit raeſt. T. impetus primus, nimia verorum laude in edita mea opuſcula iens; optime curtae meae ſuppellectis memor, & qvid valuerint humeri, vid ferre recuſarint, mihi conſcius, nmaturos hos fœtus & fere non abor-

 tivos

tivos inter moleſtae Praxeos occupationes praepropere prognatos, non tanti ponderis eſſe ſcio. Nam & Gammarologiam ſiniſtra Lucina editam, et qvarta Luna prognatam expertus ſum. Auguſtas obſtetricantes manus & Inſularis purpurae cuſtodiam non tam a matre rubenti Gammaro, qvam toti Collegio Curioſo favorem implorare demisſisſime flagitaveram, ſed, qvod in aurem dictum ſit, nec reſponſione, nec aliqva gratia ſuſceptus Gammarus, vix deniqve paucorum nummorum pretio muneratus, poſt biennii ab oblatione moras aula excesſit.

Tibi, Vir Eruditiſſime, merito gratulatur Collegium Curioſum, ut de ſinceriſſimo affectu, ſic de egregio hoc ſpecimine eruditionis curioſae & curioſitatis eruditae; gratularetur ſibi eo magis, ſi Praeſt. T. ad intimiora Medicinae adyta jam admiſſa, nomen ſuum Collegii legibus ſubſcribere, & nobiscum inpoſterum amabilis non tam caſtae Penelopes, qvam vaſtae Veſtae & mammoſae Naturae procus ejusdem amabiles & reconditos ſinus perſcrutari deſide-

[d]eſideraret. Qvae non ſperanda ferti-
[li]tas, ex novi hujus conjugii fœdere?
[N]ondum effœta eſt Natura, novis qvo-
[t]idie ſectatores recreat oblectamentis.
[N]on gemellos ſaltem, ſed numeroſio-
[r]es partus ex facundo & fœcundo Tuo
[i]ngenio nobis ſpondemus prodituros.
[E]x ungue Leo noſcitur, & primogeni-
[t]us hic Tuus patris firmos demonſtrat
[&] certos, roburqve. Qvare cum Ad-
[ju]nctorum Collegii munus ſit, novos
[i]n Societatem invitare Collegas, en me
[p]roxenetam ſiſto, qvi non ſolum Col-
[le]gii nomine omnem favorem offero,
[se]d & promtisſimam ſuſceptionem &
[in]ſcriptionem Albo Collegii. Dn. D.
[L]aurentius Bauſch jam ante biennium
[ἀ]κέφαλον reddiderat Collegium, matura
[q]videm ſexaginta annorum aetate,
[p]raematura tamen Collegio morte vi-
[v]orum numero ſubreptus, cui ſuccen-
[tu]riatus Hercules datus, ut in Conſulatu
[u]rbis Swinf. CL. D. Fehr, ſic & in
[ſu]ſcipiendo Praeſidio Collegii, cujus
[h]ac de re Programma nundinis his
[a]utumnalibus, una cum ipſius Abſinthio
[cu]rioſo, & D. Grabae Med. Erfurt.
E 2 Cervo

Cervo diſtribuetur. Tandem ut Praeſt. T. favorem ulterius demereri dignus viderer, ſubjicienda eſſent nonnulla ad propoſita problemata de Infuſoria Chirurgia in infantibus, & pictura in floribus, brevitas temporis tamen & occupationum moles calamum Practicis negotiis intricatum alio avocat, proximis tamen qvaedam qvo ſubjungam, maxime memor ero. Vale interim Vir Eruditisſ. & qvem Amicum Tibi ſelegiſti, porro eundem ſincero affectu proſeqvi ne ceſſa, qvi Praeſt. T. ad quaevis officia, dum ſpiro, ero paratisſimus.

Uratislav.
d. 27. Aug. 1667.

X.
LECTIONUM PUBLICARUM INTIMATIO.

PHILIATRIS ET NATURALIS SCIENTIÆ CULTORIBUS

C. F. Garmann Med. Baccal.

S. D. O.

MEdicorum filios non tantum ab- legandos

egandos eſſe in noſocomia & aegro-
antium grabatos, ſed & interdum, ut
auſam dicant & diſcant, in demortu-
orum cryptas & feretra, ſerio ſvadent
non tam neceſſitas & utilitas, quam in-
le emergens jucunditas. Quae etenim
os grabatis aſtantes ſaepe reddidit du-
ios cauſa, ea in demortuorum Cada-
eribus apertis aperta ſatis emicat, &
prico exponitur Soli. Tantum deceſ-
iſſet nobili Medicinae, quantum ex A-
atomiae cultura eidem acceſſit, ſi ca-
laverum inſpectionem praeterlapſo-
um & praeſentis Seculi abhorruiſſent
Profeſſores. Nec novacula ſemper
pus eſt, ut viſcera invadamus Micro-
oſmi feretro imponendi; ſufficit
liqvando, ſi mentis acie ſuperficiem
jus tantum contemplemur, qvaeque
Natura in his patrat miracula, exacte
rutinemus. Suſpenſos illa ſaepius nos
eddunt, ut anxii, qvo nos vertamus,
eſciamus, ſi circumſtans multitudo
auſam percontetur. Admirationem
ui non movet cadaveris haemorrha-
ia, vomitus, partus. &c? Si tamen
octorum ſuper haec evolvas judicium,
 obſer-

obſervationes gemellas quidem referunt, rationes & cauſas non addunt. Potuiſſem vel hac de cauſa aliam arripere materiam, dum pro Licentia, ſummos in Arte noſtra aliquando capeſſendi honores, lectiones conſvetas habendi a gratioſa Facultate Medica mihi injunctum eſt, ſed materiae dignitas & jucunditas, ne ſemel conceptam mentem exuerem, calcar addidere. Stat ergo ſententia ſemel concepta, indeqve hac ſeptimana Vobis, Fautores & Amici honorandi, Decurias duas Miraculorum, ut vocantur, in Cadaveribus obſervatorum proponere, & rationes cur haec vel illa ita contigerint, ea qua potero brevitate addere decrevi. Deſtinata eſt huic labori hora X. promeridiana, initiumque dabit craſtinus dies. Adeſte igitur, meque de praedictis mortuorum miraculis legentem, aut potius balbutientem audire ne dedignemini. Ne cœli vos laedat inclementia, ſuccinctus ero, ne temporis jactura vos abſterreat, ea quae uſum Medicum ſpectant, ſedulo annotabo. Nunquam me fugiet hujus favoris &

honoris

honoris memoria, & ſicubi vobis viciſ-
ſim officia mea gratificari poterunt,
promtus apparebo paratusqve. P. P.
Lipſiae d. 17. Novembr. 1667.

EPISTOLA XI.

QUÆDAM DE PLANTIS MONSTROSIS.

D. Joh. Michael Fehrio
C. F. Garmann, Med. Lic.
MARTISBURGO SWINFURTUM.
S. D. P.

EA, Vir Excellentisſime, eruditorum eſt indoles, ut qvamvis longo intervallo ſejuncti, ſibique faciem ignoti, literariam tamen affectent familiaritatem. Motus hac de cauſa, ante annum fere diſſertationem meam publicam de Gemellis & partu numeroſiore, Tuo & Excell. Bauſchii nomini inſcriptam, cum Epiſtola transmiſi. Latuit tum temporis me mors Excell. Bauſchii, quam a Nobilisſ. Sachſio mihi intimatam ſerio dolui. Quicquid ſit, etiam

 manes

manes tanti viri honore eſſe proſe-qvendos, quis eſt qvi negabit? Gratulor interim Jlluſtri Veſtro Collegio: qvod Te Praeſide gaudeat, Tuisque in Rempubl. noſtram meritis coruſcet. Interea avido expectavi deſiderio Tuas reſponſorias, ſpe tamen caſſa & inani. Facilitas Tua humanitate ſatis laudabili fermentata, & in curioſos amica propenſio, Te nec praedictam diſſertationem accepiſſe, nec epiſtolium, ſuſpicionem ſenſim ſenſimque animo implantarunt meo. Calamum proinde ut iterum chartae adaptarem, animus ſvaſit ſuſpicax, occupationes tamen hactenus & ſtudia, dum Licentiam non ita pridem in Arte noſtra ambii, & brabeo tandem mactatus abii, hoc meum ſufflaminarunt propoſitum. Jam mihi redditus tandem, quanti Te tuaque ſcripta faciam, his ipſis teſtari volui. Quod ſi igitur inter Cultores Tuos locum mihi concedes infimum, ſummo id mihi ducam honori. Me autem hactenus in eo totum fuiſſe, ut plantarum monſtroſarum hiſtoriam illuſtrarem, prioribus literis indicavi. Qvantum

um vero in Botanicis ſis verſatus,
Scorzonera Tua, & Tua Hiera picra ſa-
tis evincunt. Hiſtoriam uvae mon-
troſae habet Phoſphorus Veſter, Plantae
vero Gottorpienſis monſtroſae Iconem,
docto orbi communicavit Veſter He-
perus. Huic cum inſtitutum meum an-
te menſes aliqvot aperirem , Iconem
Chryſanthemi monſtroſi cum hiſtoria
Te ad illum ſcripta, transmiſit, qvod
delineatum exercitationibus meis, cum
honorifica Tui mentione, inſerere ge-
tio. Te vero plura adhuc in regno
vegetabili naturae obſervaſſe miracula
& luſus , in praedictis literis fateris.
Ab eo tempore avide eorundem hiſto-
riam a Te expectavi, praedictis exer-
citationibus ut accederet auctuarium.
Ne ſpe excidam, ad Humanitatem Tu-
am iterum appello , nullus dubitans,
qvin propediem deſiderio meo ſis ſa-
tisfacturus. Qvanta ſcripto iſti accedet
autoritas, ſi Tua nobilitatum ſuperbiet
experientia, rariſque obſervationibus!
De rebus pariter inſcriptis & pictis, ut
& de Buxo elaboratum apud me ſervo
ſchediaſma. Si Tibi quidem hoc meum
 placebit

placebit inſtitutum, lucem pariter vide-
bunt & diem. Literis his adjunctum
diſcurſum inauguralem ſereno vultu
dignare. Si qvid erratum, feſtinationi
qva urgebar, imputes velim, illuſtrabitur
hoc Thema aliqvando pluribus, adjun-
ctaque Theoria morborum Embryo-
nis in utero, cui jam lito, locupletabi-
tur. Vale Vir Nobiliſſ. meqve Cultorem
tuum indefeſſum ama. Martisburg. d.
20. April. 1668.

EPISTOLA XII.

DE PRINCIPIIS CHYMICIS QUÆDAM.

Lic. Salomoni Eichlero

C. F. Garmann, Med. Lic.

MARTISBURGO *LIPSIAM.*

S. P. D.

SI tardius forſan hae ad Te eunt, A-
micorum colende, aut occupationes
Tuas Hygiae & aliis curioſitatibus ſa-
cras interpellant intempeſtivius, ne
moleſtum id Te habeat. Illud occu-
pationibus

pationibus, hoc amori des & affectui. Fervet enim adhuc illud tecum de Naturae & qvibusdam Artis noſtrae arcanis colloqvi deſiderium, & dum ore ejusdem fervorem temperare a novercante prohibeor loci diſtantia in calamum id muneris tranſtuli. Cum vero . proſperis prologum ordiri ſtudiorum & honorum, tuorum ratio poſtulet, Tibi non immerito, ſerius qvamvis, vere tamen gratulor, qvod exantlatos labores tam egregius & ſplendidus titulus exceperit. Adſit porro tuis conatibus Siderum faventia, qvo ad votum ſuccedat pollucibiliter praxis, brevique Doctoris infula ſuperbientem Te conſpiciamus. Boylei exaſciati Chymici Chymiſtam ſcepticum tandem transmitto, data oportunitate iterum mihi reſtituendum. Qvae Chymicorum principiorum ſtatuminatoribus opponat, qvaeſo Chymicus nulli ſecundus inde perſpicies. Carioſa haec principia inter Chymicos primus exſibilavit *Helmont. tr. de trib. Chym. princ.* Hic enim ut Paracelſi Monarchiam exploderet, duo cumprimis ejusdem dogmata annihilare

annihilare auſus eſt, de praefatis principiis unum, alterum de tartaro. E
ſi recte opinione metior, Chymiſta hic
ſcepticus Williſii doctrinam de his principiis fermentationi praefixam tacite
mordet, cum videret iisdem qvaſi abuti
praedictum Williſium. Tu cui clarius haec ſacra patent, qvid ſentias, qvid
ve Boyleo & Helmontio reponas;
candide qvaeſo communica. Hoc cuivis hanc doctrinam inſpicienti patet:
Chymiſtas, ſenſatos illos artifices, dum
noëticis Ariſtotelicis relictis, ad hypoſtatica haec, ut vocantur *Beguino
Tyrocin. Chym. c.* 2. provocant, ſibi
ſaepe non conſtare, verbaque ſine ſenſu
veritatis tantum ſpargere. Ea non eſſe ſimplicisſima & omnino incompoſita, Williſius edixit, ex Elementis
dependere aſtruit *Anthon. Günther.
Willichius in Theſſal. rediviv. c. 10. q.
73. & 74.* Qvod ſi igitur Elementorum
tetragonus in trigonum aut pentagonum hunc reducendus modum, ſcire
deſiderarem, annon ſic principiorum
darentur principia. Qvid ſi dicerem,
haec non eſſe univerſalia, adeoqve ſic

Principi-

rincipiorum dignitate excidere, qvae niverſalitate, ut ſic loqvar, ſuam meuntur exiſtentiam. Simplicia corpoa ſane infelicia, qvippe qvae his fulcris eſtituuntur. Inde ſui oblitus *P. J. aber*, qui cœlum e tribus principiis omponit *l.1. Panchym. c.13. p. 16.* & in o haec tria reperiri *l. 2. c. 3. p.* 105. ſſerit.

Neſcio, qvis alios agitet Ajax, qvi tiam Sal ignis & Aeris ſe posſidere jaant. Ut non immerito mirer cum *oh. Th. Schenkio hiſt. hum. generat.* cur on ipſum Deum ex iisdem conſtitui oceant. Si igni tanqvam corpori mplici ſuum Sal, ſuum Sulphur non ſt, cur id parare ſatagunt. Citius e umice aqvam ſpondeo, qvam, ſi dictam hymicorum hypotheſin ſeqvaris ex lementis Sal, Sulphur & Mercurium. nter praeparata Payngkii etiam apud *hom. Bartholin. Ciſt. Med. pag.* 636. leitur Sal ignis. Sed vereor, ne fumum endat, ut clari alias nominis Chymius *Frundekius*, qvi Amſtelodami in ollegio Chymico anno 1662. idem romiſit. Animadvertit tamen Olaus Borri-

Borrichius illum igni tribuere, quod carbonibus & ceſpitibus debebatur, idqve oleum & ſal nihil aliud eſſe qvam germanum fratrem fuliginis, qvod ſcripſit ad *Th. Barthol. Cent. 4. Ep. 17. p. 72.* idem de Sulphure & Sale Aeris ſit judicium, de qvibus allegatus *Borrichius ap. Th. Bartholin. c. l. Ep. 38. p. 221.* Non enim quid in aere eſt, aeris eſt. Sed qvo dilabor, dum paginam limite parciore arctare cura ſedet, eandem verborum eluvie redundare animadverto. Ignoſce calamo tecum amice converſari geſtienti, & ſi placet hanc hypotheſin penſiori judicio trutinatam, mihi remitte, una cum dudum deſiderata Tua inaugurali, Veslingioq; & aliis ad uſum tuum Tibi communicatis. Si quae alia occurrant nova in arte noſtra, addas qvaeſo. Procurante Dn. Schollero, ea optime ad me deferentur. Vale Amicorum colende, meq; ſi dignum judicabis, amare perge. d. 28. Mart. 1668.

EPISTO-

EPISTOLA XIII.

DE COLLEGIO CURIOSO.

D. Philippo Jacobo Sachſio a Lewenheim,

C. F. Garmann Med. Lic.

MARTISBURGO *URATISLAV.*

S. D. P.

SICcine & meae qvod tribuis tenuitati, Celeberrime Sachſi, ut muſteis uis verbis mihi Naturae & Hygiae anti calcar addas & animum. Gra-llor mihi non tantum, qvod Sachſio notuerim,ſed eo cumprimis nomine, via in mea tenuitate qvid reperit Sachus, qvod ſibi ſit ad ſalivam. Ut do-orum Virorum favorem ſemper o-ni pretio praetuli; ita Sachſio placere, ini antepono pretio. Nolo palpum ibi obtrudere, ſed his ipſis tacitum od concepi gaudium, ſaltem teſtari. oc interea juxtim hactenus animum omordit meum, qvod eruditis Tuis eris reſponſum citius reponere non lui. Ipſa neceſſitas obicem mihi objecit

objecit, & honores, qvos hactenus ambii, jamque in hac noſtra Philyrea Praeceptorum ſuffragio retuli. Inde alio abreptus animus, nec ſibi vacare, nec aliis ad votum potuit. Nil dicam de abitu in Patriam, in qva jam Praxin exerceo. Qvocirca tam longum ſilentium pro Tua Humanitate in optimam interpretaberis partem. Quae de Collegio Veſtro curioſo ſcripſiſti, gratiſſima fuere, miror & Dnn. Collegarum induſtriam in Naturae eruendis arcanis. Hiera picra Excell. Fehrii, Elaphographia Grabbae, omnium tulerunt puncta, Veſtraeqve Academiae inſignem affricarunt nitorem. Plura in dies avide expectant Naturae Myſtae, qui Naturam Vobis multa debere, ultro confitentur. Stabit tantorum Virorum memoria etiam apud poſteros incorrupta, tantiqve beneficii recordatio apud ſeros recrudeſcet nepotes. Quid vero hoc, mi Sachſi, qvod nullo merito meo, ut & Veſtro me adjungam Ordini, humanisſime invitas? Aquilam obviam venientem cernere, ſemper inter laeta reputatum fuit auguria. Sed ô ſi

tanto

nto Proxeneta dignum me ſiſtere
oſſem. Dudum modeſte de me ſen-
re didici, memor illius, qvi

Icariis nomina fecit aquis.

uod ſi tamen ita placeret Incluto Ve-
ro Ordini, repudio humanisſimam
uam invitationem excipere, piacu-
m judicarem. Ferunt regulum
iquando ſummas transfretaſſe auras,
d Aqvilae alis ſubvectum: ſi Tuus me
vabit affectus, quidni ſublimi feri-
m ſidera vertice. Interea Salve Ve-
rum Academicum deſidero, quod in
ſtris non amplius proſtat bibliopoliis,
reliqua Veſtrae Academiae decreta,
ae candide mihi communicabit, ut
nfido, candor Tuus & affectus. Diſ-
rſum meum Inauguralem his trans-
itto incluſum. Ignoſce erratis &
cillantem miranda Tua eruditione
ffulci. Scriptae ſunt ad clepſydram
e pagellae, & vix dum natae, praelo
ſtinatae. Si vitam, ſi vires non de-
gabit Divina Clementia, comtiores
odibunt & elegantiores, una cum The-
ia morborum embryonis in utero,
i vacuas hactenus impendi horas.

 Qvae

Qvae de Plantis monſtroſis & inſcri
ptis commentatus ſum, a Tua Curioſita
te promiſſum expectant auctuarium
Adjungetur his forſan de Buxo Sche
diaſma, in gratiam Excell. Dn. Godo
fredi Buxbaums, Med. Lic. & Practic
Ileburgenſis, Intimi mei, qvi Te amic
ſalutat, conſcriptum. Qvodſi & ali
de Plantis curioſa ſerves, qvaeſo com
munica, non ſine honorifica Tui men
tione allegabuntur, candideque dicam
cujus Solis ſtella ſim, cui lucem debeam
Vale interim cum Tuis ad votum, me
qve Tui obſervantisſimum, amare per
ge. Martisburg. d. 28. April. 1668.

EPISTOLA XIV.

VOTUM PROPEMTICUM

M. Godofredus Reichius

L. Chriſtiano Friderico Garmann

ZWEMA MARTISBURGUM

S. P. D.

ETſi ſatis audacter (an confidente
mavis) Fautorum Phoſphore inte
gerrim

errime, facere videor, cum literis Te
neis interpello, cujus jucunda fauſti
axit T. O. M. jam ineundi itineris mo-
eſtia occupat animum: Qvoniam ta-
nen proximo elapſo die Tibi fidem de-
eram, meletematum nonnulla meo
um ad revocandam aeternum devincti
.EICHII Tui ἀνάμνησιν, ad Te mittere;
utavi me non ſatis ex officio facturum,
iiſi cum datae ſtarem. Plurium qvi-
em copiam Tibi facere in votis habui,
d eorum neceſſarios alioqvin meos
ne inopem reddidiſſe, fateor Si qvid
rati exinde Tibi emerſerit, gratulabor
nihi; ſin minus, infucati animi erga
Te mei teſſerae loco haud gravatim
ccipias, bonique conſulas velim. Cum
iam dignaberis reſcribere, utut gra-
ioribus Te occupationibus tum teneri
overim, ad Dominum Rudolphum
.ipſienſium non infimae ſortis Merca-
orem literas curabis deferendas. Bene
ale, germane GARMANNE, ac Tui
n precibus ad DEUM meis ardentiſſi-
nis nunquam non mentionem futu-
am, credas. Qvare eo, qvo cœpi voto
n feliciſſimum abitum & aditum tuum,

F 2 devote

devote finio: Sit Instar Fluminis Pax Tua, Et Prosperitas Tua, Ut Fluctus Maris, Eſ. 48, 18. Iterum iterumque Vale!
Zvvemæ, d. 27. Maji, 1668.

EPISTOLA XV.

QUÆSTIO,

AN E PULMONIBUS IN CADAVERE DE ÆTATIS ANNIS FIRMUM POSSIT FIERI JUDICIUM?

D. Philippo Jacobo Sachſio a Lewenheim

L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *URATISLAV.*

S. P. D.

OBſtetricante occaſione V. Excell. inſalutatam praeterire nec potui, nec debui. Ut enim celeberrimorum Virorum favorem ambire ſingulis momentis geſtio, ita Te Virorum celeberrime, his iterum ſalutare, inter rara felicitatis meae reputo documenta. Excuſſere, ni fallor, animi mei propenſionem præter-

praeterlapſo menſe Martio V. Excell.
transmiſſae literae, qvas una cum mea
inaugurali V. Excell. accepiſſe, nullus
dubito. Jam dum, divina ita dirigente
gratia, Chemnicii dego; a Prudentisſimo
Senatu Phyſicus Ordinarius vocatus &
conſtitutus, vel eam ob cauſam mihi
hanc ſpartam gratulor, quod commo-
dius V. Excell. literariam obſervantiam
offerre valeo. V. E. eruditorum literas
magni aeſtimare, publica teſtantur mo-
numenta, rerum tamen vacuas, qvales
meae, an favente ſupercilio dubitarem,
niſi priores ad me datae favoris ſingu-
laris ſpirarent fragrantiam. Æternus
ſit mihi hic favor ab illo, qui ipſi aeter-
nitati nupſit intime. Sed en! dum
haec ſcribo, atteſtatum Vienna huc
relatum de morte Mercatoris Chemni-
tienſis mihi traditur, in qvo & haec ver-
ba continentur: Der Toden-Beſchau-
er hat nach der Lungen-Beſchauung be-
funden, daß der Verſtorbene 45. Jahr
alt. Erat vero defunctus annorum
47. Mentionem horum inſpectorum
facit *Hœferus l. 6. Herc. med. c. 3. p. 295.*
Quomodo vero e pulmone de annorum
 aetatis

aetatis numero judicent ; non addit: An e numero loborum, qvod tamen vix credibile, quia impoſſibile, an aliis e ſignis, non facile dixerim. Si V. Excell. hac in re judicium mihi ſuccurrere vellet, res ſane gratisſima mihi accideret. Plura non addo, urgentibus ita Mercatoribus Nivemontanis harum gerulis, qui a V. Excell. reſponſorias deſideratas, niſi graviora obſtent negotia, expectant. Vale Vir Celeberrime Fautorum Phoſphore, meque amare perge.

Chemnicii, d. 5. Jun. 1668.

EPISTOLA XVI.

SALVE ACADEMICUM!

D. Philippus Jacobus Sachſius a Lewenheim

L. C. F. Garmanno

URATISLAVIA CHEMNICIUM.

S. D. P.

INjurius eſſem in ſanctae amicitiae leges, ſi binis Exc. T. literis inſtigatus, ulterius foverem ſilentium. Priori-

rioribus reſponſoriae denegatae fue-
unt , quod bivius haeſerim, quorſum
terae ſint mittendae ; nunc ubi per
oſtremas certior factus , E. T. fixas
edes Chemnitii elegiſſe, & Exc. T. &
nihi de tam inſigni felicitate gratulor.
. T. quidem, quod in ea urbe Medi-
nam cum laude exerceat, in qua olim
'aſpar & Johannes Naevius de Repu-
lica Medica optime meriti vixerunt;
nihi vero quod ad minimum quater in
nno per mercatores Schneebergenſes
uaternis noſtris nundinis ſecure reme-
re poterunt literae, abſque metu nau-
ragii in hoc terreſtri itinere. Sed
um animo conſtitueram, longiore
piſtola E. T. avidam ſaturare famem,
nopinata fati neceſſitas, quae ante
nnum ſororem novendecim annorum,
nte novem menſium ſpatium Paren-
em ſenem fere octogenarium e viven-
ium numero proſcripſerat, conjugis
neae dilectisſimam matrem his ipſis
undinis ſexagenariam peremit, unico
neo filio febre maligna correpto, vix
andem cladem evadente. Hae con-
atenatae privatae curae & moleſtiae,

 et occu-

& occupationes funebres, gravioribus curis & ſeriis cum Amicis eruditis confabulationibus pauſam injecerunt. Excuſabit igitur E. T. quod tam tardus ſim in ſuppeditandis curioſis de Plantarum miraculis, non omittam eandem recoquere crambem, animus ubi paulum ſedatis procellis rurſus erit compoſitus. Teſtem interim mitto aliquot carmina, cupresſis feralibus appenſa, qvorum ultimum Langiam viduam ſocrum meam concernit. Adjunxi orationem meam nuptialem olim mihi conſcriptam, ut aliqvo munuſculo redhoſtirem binas Tuas Diſputationes mihi transmiſſas, Nectare mihi ſvaviores. Et cum illae locupletisſimum praebeant teſtimonium ſinceriſſimi affectus erga Collegium Curioſum, non poſſum non E. T. antea invitatam, pro ineunda noſtra Societate, nunc, poſt conceſſos ſummos in Medicina honores, plenis ulnis ſuſcipere, & pro conceſſa mihi à Domino Praeſide & Collegio Curioſo poteſtate, tanquam Adjunctus p. t. Collegii, Exc. T declarare, & declaratam proclamare Collegam Curioſum.

um. Gratulatur ſibi Collegium de in-
efeſſo E. T. labore, & curioſisſima
iligentia in enodandis ſacrae Picturae
rcanis, optimos ſibi ſpondet fructus a
am florentisſimo annis & eruditione
octore, & dum Hoffmannum Profeſſ.
ltorfinum Collegio quoque accesſiſſe
audio, binis his columnis Herculeis
ffultum Collegium, omnes eludet
mporis injurias,& latius ceu palma o-
ere preſſa ſuccreſcet. Cognomen quod
buerit ſibi ſeligat, quod pro confirma-
one & inſcriptione Swinfurtum ad Dn.
raeſidem mittam. Salve igitur Excell.
n. Collega, & fauſtis avibus nomen
omen Curioſi Collegae ſuſcipe, &
liquis Tuis Honorum titulis adjunge,
eramus data occaſione ex Aula
æſarea immunitates quasdam pro
ollegio, ut his honorum ſtimulis eo
tius bonae famae avidi, in caſtra no-
ra deſcendant, nec Curioſi Collegae
omine ſalutari erubeſcant. Mitto,
ae ante paucos annos Leges Collegii
erant promulgatae, hactenus tamen
ntentia fuit quasdam immutare ad
nn. Collegarum lubitum. Si itaque

Exc. T. quaedam in his deſideret, quae emendari cupiat, calculum ſuum ſubjiciat. Numerus Collegarum etiam ex illo tempore ſuccrevit, alii ex horum numero nondum ſolutis Symbolis ἀσύμβολοι convivio exceſſerunt Curioſo plurimi adhuc aere quaſi ſolvendo obſtricti. Quod ſi hae leges antea in Exc. T. Bibliotheca haeſerint, data occaſione hujus exemplaris remisſionem expecto. Vale Exc. Dn. Collega, & ulterius fave Amico Tuo integerrimo, qui ad omnia Amicitiae obſequia praeſtanda ero paratisſimus. Vale quam longisſime in Collegii Tuorumque incolumitatem.

Uratislav. d. 7. Jul. 1668.

EPISTOLA XVII.

HYPOCHONDRIACI HISTORIA. QUÆDAM DE MOSCHO. CADUCUS UTERI.

D. Joh. Theodor-Schenkio
L. C. F. Garmann
CHEMNICIO *JENAM*
S. P. D.

REprimerem calamum, Virorum vel

vel magni Bartholini judicio, Magne, udacem nimis, niſi Tua Humanitas imidiuſculae crenae adderet calcar. Tanta ea eſt, ac eruditione ſumma ita ermentata, ut eam ſtupeant omnes, nirentur ſinguli. Ipſe ante decennium, & quod excurrit, abunde eandem expertus, illam animo excludere nec potui nec debui. Quocirca altiores hujus nemoria in animo egit radices, adeo, t ſaepius male voluerim novercanti ortunae, quae me inſperato eidem ſubraxit. Interim mihi non immerito acite gratulor, non tantum quod divia Clementia ea ſparta me nullo meo nerito mactare voluit, cui ſumma cum aude olim praefuit T. Excell. ſed & uod Tui memoriam ſingulis fere momentis mihi refricant civitatis noſtrae roceres, ut in laudes optimi Praeceptoris ire nunquam non ſe mihi aperiat ccaſio. Æterna ſit illa nominis Tui ama, apud ſeros recrudeſcat & magis nagisque inclareſcat nepotes! Inter eos ero, qui Te magni aeſtimant, etiam umprimis numerandns venit noſter Theophilus Voigt, Chirurgus haud vulgaris

vulgaris experientiae, cujus filius ſum
mae ſpei juvenis , qvod adhuc apu
vos decumbit, ſummopere doleo. S
vivit adhuc , ſi blandioris valetudini
ſentit faventiam, DEO id debet, Tib
juxtim ſecundum DEUM. Cum ver
ejus praeſentiam deſideret Parentum
στοργή, ſanitatisqve obicem ut divino au-
xilio Tuoque conſilio adjutus remo-
veam , Parentes expectant , morb
cauſam curamque hactenus tentatam
qvaeve inpoſterum e re aegroti ſint, ne
me celes opto, optant Parentes. Opi-
nione ſi recte metior flagellum eſt illud
eruditos qvod exercet, eruditionisqve
Candidatos, malum hypochondriacum
Hujus incremento & Symptomatum
farragini inprimis contumaci alvi ob-
ſtructioni forſan velificabitur prava ſuc-
ci pancreatici conſtitutio qvippe qvi ſuc-
cus ſolum fere melancholiae rudimenta
mihi videtur conſtituere. Diſſertationis
Tuae de Moſcho ſaepius apud eruditos,
cumprimis Halis Saxonum , non ita
pridem facta fuit mentio, oculis tamen
multo minus animo eandem uſurpare
non licuit. Tetigiſti ſine dubio in ea-
dem

em de Moſcho veterum controverſi-
m vexatam ſatis , ejusque generatio-
em, prout ſoles, docte illuſtraſti. Odor
jus an inſtantanee nutriat , inſtanta-
ee dum reficit , quid ſentias , dubio
rocul ex eadem patebit. Cur Moſchus
alia odorata caput mulieris turbent,
erum debilitent , & an hoc modo
onſenſus uteri & cerebri ſtare valent,
rſitan non intactum reliqviſti: Natus
tricis medicis extricandis, variarum-
ue monſtroſarum in arte noſtra opi-
onum hactenus ſtrenuum Te praeſti-
ti averruncum. Ut igitur & hos
rupulos docta Tua mihi eximat diſ-
rtatio , ejus exemplar meae non
videas precor expectationi. Quod ſi
alios fructus menſtruos, pro ut ſolet,
itulae objecit aurae Veſtra Palma, iis-
m meam tenuitatem exhilarare non
edigneris. Pretium proxima reſtitu-
n occaſione. Curationi meae con-
edita hic vivit qvaedam fœmina,
aduco uteri aliqvoties tentata , ut ut
enſes ſolito fluant tempore. Reme-
is alias expertis hactenus cedere no-
it malum, an corpore probe evacuato

ſternu-

ſternutatoria proſint, titubantem quaeſo mone. Transmitto his adjun ctos Diſcurſus Academicos obſervan tiae debitae teſſeram tenuem quidem ab obſervantisſimo tamen E. T. prom ctam. Ignoſce erratis. Pro ... aliquando emaculatiores & comtiores Finio cum Romano illo apud Tacitum Dii Tibi principatum dedere, nobi obſequii gloria relicta eſt. Vale, V magne, mihique ſerio fave.

Chemnicii, d. 16. Jun. 1668.

EPISTOLA XVIII.

RESPONSORIA AD PRÆ CEDENTEM.

D. Joh. Theodor-Schenkius

L. C. F. Garmanno

JENA *CHEMNICIUM*

S. P. D.

DUm nominis Tui, Vir Nobilisſ memoriam in mentem mihi revo cas, grato illud agnoſco animo, fateor que protinus illam mea excidiſſe me moria

moria, quod equidem grave Te latu-
rum non ſpero, qui optime cognoſcis,
erum multitudinem, in primis vero
mutationes temporum cauſam ejus
eſſe principem. Caeterum de eruditi-
one ſingulari & dexteritate Practica
nimitus Tibi gratulor, gratias una
gens pro ſpeciminibus transmiſſis ele-
antisſimis. Placuit admodum mihi,
Rempubl. Chemnicenſem in hanc de-
cendiſſe perſonam, quae optime me-
etur praeeſſe Spartae publicae, ſeu ut
ocant Phyſicatui, cui olim me praefu-
ſſe ſcribis. Propitiam Tibi civitatem
recor; utque meliori fato vitam
llico & famam pertexas, quae pluribus
iniſtra cesſit, an fato ſingulari, an loci
ulpa, hoc de mihi non ſatis conſtat.
'ilium Chirurgi hypochondriacum
Tuae curae tradendum lubens audio,
ffectus chronicus eſt, ſaepius lentam
erens manum aeqviori tergore. De
Pancreatico ſucco & novis inde in
Medicinam pertractis hypotheſibus,
nodice ſentio. Nec enim quod pueri
quaerunt in faba, hujus praeſentia ex-
hibet & monſtrat. Sed hic valere
qvenqvam

qvenqvam ſuo ſenſu permitto, cum certum ſit, eum neque citius neque felicius, neque aliter morbum curaturum, licet ita eſſe imaginetur ſibi. Moſchi hiſtoriam exhibeo, quae opus non eſt genuinum, ſi limam adjectam exceperis. Plura ubi deſideras, curabo ne deſint appetitui Tuo. Interea Vale atque favorem veterem literarum ulteriori continuato commercio conſerva. Curſim Jenae. d. 28. Junii, 1668.

P. S. Sternutatoria in caduco iſto affectu non probo. Affectus Sympatheticus utero ante omnia proſpiciendum eſſe monet. Tu injectiones uterinas ex Rad. Mandragorae, ſecundum Hippocratis conſilium, frequenter adhibe.

EPISTOLA XIX.
CADAVERUM CRUENTATIO.

Dn. M. Godofredo Reichio
L. C. F. Garmann
CHEMNICIO *ZWEMAM.*
S. P. D.

Ex voto attigi relicta Patria, alte-ram

ram Patriam, meum Chemnicium, ine moleſtia, ſine defatigatione. Ne mirare, Amicorum optime, qvi id fieri potuerit, Tuae, quaeſe mihi comites adjunxere literae, omnem ſpongiae inſtar itineris abſterſere moleſtiam, vo-umque incolumitati & proſperitati meae ſacrum omnem excluſit defatigationem. Pavi oculos meletematum uorum aſpectu, lectione eorundem nimum. Pro vehiculo mihi fuit tua acundia, ingeniiqve tui mira fœcunitas. Inde data occaſione ſemel daam fidem ut amica reſponſione redinam, has literas perennaturae amiciiae obſides remittere tibi placuit. tatum igitur meum ſi ſcire aves, me extra valetudine, Patronorumque neorum, nullo qvamvis meo merito, ipatum adhuc ſcias favore. Divinae enedictionis haud obſcura indicia votidiana ſuppeditat Praxis, qvam actenus magno, praefiſcine hoc dierim, aegrorum ſolamine, exercui. dſit porro auſibus Archiater cœleſtis, ujus honori ſolum meus velificabitur abor. Pharmacopœa noſtra, ut priſtinam

ſtinam reſumat faciem, in eo multum mihi terendum eſt temporis, multosque hactenus aliis ſtudiis ſacros mihi hoc Amplisſimi Senatus noſtri mandatum ſubduxit dies. Nec Patronorum converſatione excludor, utpote quae reliqvarum ſuccisſivarum horarum ſibi poſtulat momenta. Caetera cum mortuis qvidem non ambulo, qvod ille Stratonicus Citharaedus de Cariae incolis melancholicis dicebat, nec cum Democrito Abderita extiſpicio brutorum in ſpecu vaco, cum mortuis tamen ſaepius reliqvum temporis fallo: Feretra adeo, buſta ſcrutor, cryptas eorundem aperio, & an etiam Dii ibidem ſint, qvod olim de fumoſo ſuo tuguriolo affirmabat Diogenes, perconitor. Multum vero ibidem qvod curioſum oblectat animum, reperio. Video cadavera parere, ſudare, guttur inferius deponere, fragrantiam ſpirare, putredinis effugere dominium, & petrefactionis contra idem ſe tueri privilegio. Nec minus ſtupendum Cadaver cruentum ſtillare liqvorem, qvod vivis alias competit corporibus. Non

tantum

ntum Medicos, ſed & JCtos & The-
logos ſpectabit haec Speculatio, tricas
t effugiant alias inextricabiles. E-
empli loco, qvia Te ejusmodi curioſi-
tibus ſummopere delectari ſcio, qvalis
it ille clamor ſangvinis Abelis cœ-
m penetrans? putant qvidam Jovam
ainum ad Abelis deduxiſſe cadaver,
cum pernegaret factum, cruentatio-
illud homicidae obſignaſſe praeſen-
m, inter quos eſt *Iſaacus Silberſchlag*
xplic. Evang. Dom. 11. poſt Trinit.
ocum, in qvo filius Barachiae Zacha-
s trucidatus fuit, perpetuo ſangvinis
omuiſſe undam, uſque dum expiare-
r a Nebuſar Adan, alii prodidere, *vid.*
urmius in Calend. Sanctor. p. 39.
ſqvirit *Vincentius Moſles in Philoſo-*
ia naturali ſacro-ſancti corporis Chri-
c. 14. dub. 3. An a morte Chriſti
turaliter ſangvis ex aperto latere
fluxerit? affirmative reſpondet,
ddit: Alicui videri poterit, qvod ſan-
is naturaliter fluxerit, quod praeſens
t homicida. Non implicat qvidem
uralem illum fuiſſe ſangvinis &
ae effluxum, myſteriumque ſimul

ſubfuiſſe. Qvod vero fluxerit ad te-
ſtandam homicidarum praeſentiam
non facile pronunciarem: Non dicam
quod omnes fere ſentiunt, cadave-
dum cruentat, Spiritus laeſos enormiter
irritatos & conturbatos, praeſente ho-
micida ultionem ſangvinis hac ſtill
deſiderare. Obſtat enim illud ultimum
plenum manſvetudinis & amoris ver-
bum: Pater remitte eis. Hoc tantum
afferam, ſangvinem praeſente homi-
cida aut ſudare cadaver, aut ſpumam
ſangvineam circa oris labra comparere
qvale exemplum habet Zeilerus *part.*:
Æpiſt. p. 1032. aut per nares, rariſſim
per oculos cruorem exire, aut tandem
per vulnera ante mortem inflicta
neutrum horum in cruce pendent
Chriſto animadvertitur. Vulnus enim
poſt mortem demum inflictum, ſan-
gvinem extravaſatum copioſe egeſſi
Quod ſi valeret, & homicidii argu
poſſet Anatomicus, dum ipſo praeſent
corpusqve incidente, vaſa laeſa in ca-
davere, aut cor apertum cruoris emitt
imbrem. Tibi ſi circa haec Problema-
ta e Rabbinorum & Theologorum

ſcripti

ıriptis qvaedam occurrunt, communica quaeſo, ut & a Tua facilitate & ruditione defecata, meo aliqvid acceat opuſculo. Interea amare perge ım, qvi Te amat ſerio, Tuisqve coatibus omnia fauſta apprecatur & fecia:

Σὸν ἔργον, ὦ δᾳς, ἰέναι πολλὴν φλόγα.

ıt finiam cum *Ariſtophane*, Teqve cum ıua, qvam ſaluto, Tuisque valere beam diutisſime. Chemnicii d. 20. ın. 1668.

EPISTOLA XX.

E PLANTIS MONSTROSIS.

D. Auguſto Schæffero

L. C. F. Garmann

HEMNICIO *HALAM SAX.*

S. D. O.

QVoties, Fautorum & Amicorum optime, animum ſubit gratisſima ıua nuper tecum habita converſatio, bit autem ſaepisſime, toties mihi de

novo tecum partae amicitiae fœdere tacite gratulor, beneq; cœptis perennitatem cordicitus voveo. Hujus igitur deſiderii ſcopum, ut eo melius attingam, ori manum jungere decrevi, & ferente occaſione, dum coram non licet, de hac vel illa re diſcurſus beneficio literarii commercii feram. Qvod dum facere geſtio, ſuccurrit nuper de Plantis monſtroſis tecum inſtitutus diſcurſus, cujus recordatio me huic materiae vacantem mirum in modum delectavit. Cauſas harum monſtroſitatum non ſine cauſa rejecit *Dn. D. Major de Plant. monſtroſ. Gottorp.* in materiae exceſſum, & anomalam ſucci nutritii fermentantis ad indebitas plantarum partes lationem. Nec ars hic excludenda, qvae ſolertem hic ſe qvoqve partim inſitione, partim aliis ab artifice excogitatis modis præſtat parariam, prout e *Mizaldo, Porta, Laurenbergio* & aliis conſtat. Nimiam cœli humiditatem fructus aliqvando monſtroſos reddere animadverti ſaepius, cumprimis in glandibus glandiumqve cupulis, quas vulgi ſimplicitas

luxum

ixum veſtium aut ornamentorum
iorum capitis taxare firmiter credidit.
aſus etiam non raro huc ſuum confert
mbolum. Imaginationem ſuo mo-
o tribuit Plantis *Helmontius tr. Tumu-
s Peſtis*, quae ſane non immerito
ultum faveret horum productioni,
ſi ſana ratio Helmontianum explode-
t figmentum. Pluribus haec tetigi
peculiaribus qvibusdam Exercita-
onibus, quae aliqvando lucem vide-
int publicam. Varias in iisdem de-
ehendes monſtroſitatum partim
nagines, partim Naturae luſus. Dedit
s cum propria obſervatio, tum cum
imis celeberrimorum Virorum Sach-
, Majoris, Fehrii & aliorum facilis
eralitas. Te multa circa hanc ma-
riam pariter obſervaſſe, nuperus tulit
curſus. Ut igitur et Tua in hac re
cto orbi communicetur induſtria,
talogum & Icones eorundem mihi
invideas precor. In ſpecimine
orae Hallenſis Clariſſ. Dn. Olearii
vod Tuae debeo liberalitati) etiam
ulipam, cui Monſtrum nomen, inve-
o, nominis hujus cauſam, & Plantæ
 ipſius

ipſius deſcriptionem tua pariter mih
deſpondet humanitas. Paratos cultro
anatomicos ab artifice, ut & acus pr
ſetaceo, data occaſione transmitte
pretiumqve ſignifica: Transmittan
illud proxima occaſione, & ſi recipro
cis officiis hanc Tuam facilitatem re
dimere potero, ſemper paratus appa
rebo. Nobiliſſ. T. Dn. Parenti multan
Salutem! Vale Fautorum optime, mi
hique inpoſterum favere perge. Che
mnicii, d. 21. Jun. 1668.

EPISTOLA XXI.

SALVE ACADEMICUM
D. Joh. Michael Fehr
et
D. Elias Schmidt.
L. C. F. Garmanno

WINFURTO *CHEMNICIUM*
S. P.

ETſi nulla hactenus vel familiarita
vel literarum commercium inte
nos interceſſerit, attamen crebrio
praeclari nominis Tui fama, prae
ſertim

ertim autem honorifica recom-
mendatio Excell. Phoſphori noſtri, &
ruditisſima diſſertatio de partu gemel-
o, Collegio noſtro asſcripta, tantum
ecere & profecere, ut poſt debitam
bene meritam de dedicatione hac
ratiarum actionem, ad Conſortium
oſtrum Te praeſentibus invitare non
ubitaverimus, quo nomine etiam
ALVE NOSTRUM ACADEMICUM
in quo inſtituti hujus occaſio, ratio, in-
itatio ſolennis, Legesque fuſius con-
inentur) ad Tuam Exc. transmittimus
petimus, ut invitationi huic noſtrae
am honeſtae, Tuaque Exc. ut putamus,
ignisſimae, aſſenſum haud gravatim
raebere velis, qvem proximae re-
ponſoriae literae declaraturum omni-
o ſperamus. Fuere autem jam dudum
Caſtor & Pollux fratres gemelli, & for-
isſimi Argonautarum Heroes, hodie-
qve ſplendidiſſima firmamenti lumina.
Cum itaque tantum laborem de gemel-
is aggredi, Tibi grave non fuerit,
taque jure bene merito alterutrum
orum nominum pro agnomine &
raemio in Collegio noſtro feres, utrum
 autem

autem libuerit , & ea omnia, quæ in Lege 14. continentur (cum Exemplaribus aliqvot Diſſertationis dedicatae) ex proximis T. E. literis certiores redditi, Albo & Archivo noſtro inſeremus. Accipe, Vir Excell. haſce hilari fronte, Nobisque bene & optime fave!

Svinf. d. 22. Jun. 1668.

Nobilis & Clariſſ. Vir.

JUcundisſima nobis accidit animi tui in Collegium noſtrum propenſio, qvam non tam privatis ad Sachſium, Phoſphorum noſtrum literis, qvam publica tua de Gemellis diſputatione abunde declaraſti. Geminas Tibi pro Gemellis debemus & habemus gratias. Diſputationem ipſam, quam nondum vidimus, ut in Archivo reponetur, qvaeſo mitte, & qvam primum reſponde, electio datur tum in materia elaboranda, tum in agnomine capiendo. Eſt enim in Vicinia Tua Vir qvidam Clariſſimus, qvi itidem nomen ſuum Albo noſtro inſcribendum deſiderat, qvem Exc. T. fratrem ſeu Gemellum uno eodemqve tempore Academiae

N. C.

N. C. adſcriptum civem ſimul agnoſcimus, de amborum mutua & in univerſos benevolentia nihil qvidqvam dubitantes. Nihil, me judice, homine dignius, quam de omnibus bene mereri velle, & noſtra eſt cynoſura. Vale, Clariſſ. Vir, & feſtinanti calamo atque ex malo hypochondriaco trepidanti manui ignoſce. Svinf. ut ſupra.

Joh. Mich. Fehr. D.
Acad. N. C. Præſes.

Erffurto Mulhuſam vocatus Dn. ...raba, Cephalus, inter vacua ibi ...dem reliqvit. Sic D. Krantz Archiater Comitis Hanovienſis nuper obiit, & Phyſicatus Sal... ...lldenſis vacare dicitur.

EPISTOLA XXII.

PAUCA DE SERICO METEORICO SEU MONSTROSO.

D. Joh. Michael Fehr

L. C. F. Garmanno

VVINFURTO MARTISBURGUM.

Salutem.

BRevitatem literarum in prioribus excu-

excuſavi, nec adhuc dum convalui, qvod hiulca ſcriptio manusqve tremula loqvuntur. Gaudeo, mihi crede, & pariter doleo ſuper literas, qvas die 25. Maji ſeſamo amoris & papavere benevolentiae ſparſas ad me dediſti, vidiqve ex addita diſputatione Genium Tuum generoſum, macte ita virtute!

Doleo a. & animitus qvidem, qvod nec literae, nec diſputatio iſta de Gemellis, cujus non ſemel apud me mentionem fecit Nobilisſ. noſter Phoſphorus, per tantum temporis ſpatium ad nos non ſit delata, Aurigae eqvos curant, non literas, homines in Boeotia nati, moroſitatem iſtam in reſpondendi officio qvaeſo nobis ne tribue, praeſertim mihi, qvi alienisſimus ſum ab ejusmodi inſulſo more, qvod omnibus noſtris Collegis notisſimum. D. Bauſchius ob εὐθανασίαν excuſatisſimus eſt. Qvod nugis meis tribuis aliqvid momenti, id ex abundantia amoris profectum eſſe puto, hoc tamen ſincere Tibi promitto, in regno vegetabili verſatisſimo, ſi qvid e provincia & territorio noſtro lucubrationibus Tuis ac-

cedere

·edere poſſet , id liberrime expoſcas, ·αδδύναμιν providebo , ſed mittenda ·rius erit qvaedam tractatus Tui de ·nonſtroſis Plantis ſciagraphia & titu-·us, & de qvibus in prioribus noſtris ·nentio facta eſt occaſione nundinarum ·Naumburg. Reſponde qvam primum, ·& ſi non alia datur occaſio , reſponſo-·ias Noribergam mitte per tabellarium ·Lipſ. ad hoſpitem publicum zum rothen ·Röſslein/ exinde Swinfurtum certiſſi-·me deferuntur. Indica qvoqve tem-·pus acceſſus Tui ad Chemnicenſem ·Phyſicatum, qvem Tibi feliciſſ. com-·precor , eaqve cumprimis de cauſa, ·qvod uberrimus Tibi in regno vege-·tabili ex voto exſpatiandi campus detur, ·ſed, ut finem faciam , ne Martisburgo ·excedas precor , priusqvam de ſerico ·veſtro monſtroſo, cujus in Hiera mea ·mentionem feci, me certiorem feceris; ·ut unum & alterum filum, ſi qvod ſup-·petit, cum Eruditorum judicio miſeris; ·in Chinae regno paſſim illud in arbo-·ribus ita ſuſpenſum reperiri conſtat, ſed ·vale & fave

ὡς τάχιςα Swinf. 4. Jul. 1668.

EPISTO-

EPISTOLA XXIII.

SUCCUS PANCREATICUS, HYPOCHONDRIACI CURA, CADUCUS UTERI, ET LEPRA.

D. Joh. Theodoro Schenkio
L. C. F. Garmann

CHEMNICIO *JENAM.*

S. P. D.

GRatiſſimae mihi fuere literae Tuae, infuſam Tibi a clementiori ſidere humanitatem affatim ſpirantes, nec minus gratae illis adjunctae diſſertationes, antiqvum ſuum Jenam veſtram adhuc obtinere liqvido teſtantes. Vellem aeqve facilis mihi ſuppeteret facultas reciproco munere Tuam in hac re exhilarare facilitatem, ſed illud praeſens qvidem denegat, qvod futura forſan dabit dies. Interea qvod rem acceptam ſpe redimere cogor, aegro non feres animo. Qvae de ſucco Pancreatico ſcribis, oppido placent, facileqve

ileqve aſſenſum meum reportas,qvan-
o non idcirco felicius morbos curari
ſſeris. Interea melancholiam vete-
um huic germanam eſſe nullus dubito,
arumqve referre exiſtimo, ſive ſuccus
ancreaticus vocetur, ſeu melancholia
n liene fluctuans. Fuſius hoc argu-
nentum explicabit deſiderata Tua hi-
oria humorum ſpecialis , qvam ne
nultos premas in annos, vel ipſa ſalus
qvirere videtur. Chirurgi Filius ad
os delatus, hypochondriaca immen-
m fatigabatur flatulentia, cui incerto
vagabundo inſultu febris erat a late-
. In conſilium vocatus , lenioribus
eritivis & ſpleneticis , ad monitum
uum , huic malo ibam obviam , a
orum uſu flatus qvidem remiſerunt,
bris tamen interea vires fere omni
uit vigore. Propinavi proinde ipſi
lverem meum Anonymum , non
idem pretio , virtute tamen etiam
brifugo Peruviano facile anteponen-
m,a cujus prima ſumtione febris non
nplius apparuit. Materia igitur
rmentans hoc modo praecipitata,
purgationem poſcebat , qvam etiam
ſeqvente

ſeqvente die propinavi, a qua novie
expurgata alvo flatus & febris ceſſa
runt, divinaque Clementia intra decen
dium reſtitutus, hactenus nec morbum
nec moleſtiam ſenſit, valetque ad vo
tum. Interea diaetae obſervationem
ipſi commendo, rapisque ut crebriu
in cibo uteretur, ſvaſi huic & aliis, be
neqve res ceſſit, ut non ſine cauſa i
qvartana has commendet *Giſelerus* &
alii, imo ſolo harum decocto eanden
integre ſanari ſcribant. Illa, cui etiam
in lecto decumbenti uteri caducus mo
leſtiam parabat greſſumque figer
firmum inhibebat, etiam, DEO ſoli ſi
laus, valet optime, nullaque ampliu
tentatur calamitate, ut ut aliqvot anno
huic obnoxia fuerit eqvuleo. Injecti
ones uterinas recuſabat, inde ab uteri
norum & Cephalicorum interno uſu
praemiſſis univerſalibus, convaluit
Cumprimis Aqvae Cephalico uterinae
ex ſpeciebus conſvetis & Gelatina Cra
nii humani & ungulae Alcis ſe multum
debere aſſerit. Excuſſo morbo dolor
ſcorbuticus (nec enim ab hoc erat
libera) pedes irritabat, qui exhibitis
ſudoriferis

ıdoriferis antiſcorbuticis, cucurbitulis
emum & fomentationibus etiam ceſ-
vit. Jam ſub cura mea puella eſt
proſa quatuor annorum. Tres annos
rannidem hanc ſuſtinuit , in ipſum
iam membrorum incrementum ſae-
ientem, cum ſtatura vix infantem duo-
ım ſuperet, &, quod notabile, vix
ıo aut tria verba proferre valeat.
ırare hanc ante me tentavit Practi-
ıs qvidam in vicinia non incelebris,
d qvia potiones ex lignis ad uncias
iquot una vice propinandas praeſcri-
it, nec corpus tenellum eas admiſit
c tulit. Invitus hunc ſuſcepi, facto
rius prognoſtico, laborem, memor il-
ıs, deſperatos non eſſe tangendos.
ıtris tamen viri optimi preces & can-
or, ut aliqva ſaltem tentarem, me ad-
ere. Obſervavi purgationes & cly-
eres qvamvis fortiores, nihil expur-
ıre vitioſi humoris, imo vix alvum
overe : diuretica vero multum prae-
ırunt & diaphoretica. Juſcula loco
mmunis ſalis, aperientibus & ſan-
inem purgantibus condire jubeo,
iritus & Tincturas tales etiam potui
H admiſceo.

admiſceo. Magiſt. Carn. Serpent. Coch-
lear. & Sal. viperar. ſingulis fere die-
bus utitur, ſpemq; aliqvam reconvale-
ſcentiae qvidem concepere parentes,
ego vero adhuc in bivio haereo. Spiri-
tum Sangvinis humani & Sal viperar.
& CC. volatile Hydrae huic libenter
opponerem, ſed nec in noſtra, nec Li-
pſienſibus nec Dreſdenſibus proſtant
Pharmacopœis. Qvod ſi forſan Tibi
aut Illuſtri Rolfinkio hujus ſit copia, aut
alia contra ſonticum hunc morbum in
uſu Pharmaca, addito pretio commu-
nica qvaeſo, ſucceſſu ita in cura feren-
te, & veſtrum conſilium publico no-
bilitabo praeconio. Schrekius Veſter
apud nos fuit, jamque metallicas adiit
fodinas. Si qvae apud Vos occurrunt
curioſa, curioſique in lucem protruduntur
tur diſcurſus, precor iisdem inpoſterum
appetitui meo ſatisfacere pergas. Vale
Vir Nobiliſſ.

Chemnicii, d. 9. Sept. 1668.

EPISTO-

EPISTOLA XXIV.

N PRÆCEPTOREM PIETAS. VACUUM. SPIRITUS MUNDI.

Dn. M. Joh. Cammerhofio

L. C. F. Garmann

HEMNICIO MAGDEBURGUM.

S. P. D.

SErio adhuc iraſcor occaſioni, nimi-aeqve aurigae feſtinationi, qvae me eſideratae Tuae ſubtraxit non ita ridem praeſentiae. Annus eſt, & qvod ccurrit, ubi per horulam Magdeburgi ſpirans Brandeburgum pergerem, Te-ue, Praeceptorum qvondam optime, viſere decreveram. Dum vero fores ulſo, dum tuam reqviro humanitatem, ec mihi, nec aliis domi es. Subdu-erat Te ſcilicet mihi officii Tui ratio, incredibilis informandae juventuti crata ſolertia. Non multum tunc rgebar hac incommoditate, quia ſub ditum, quod tunc denegabatur, me ſecuturum ſpe lactabar. Inanis ta-en haec fuit & caſſa, quia per aliam

 viam

viam relegebat iter inconſtans auriga
ſaepius ab eo tempore Tui gratam fov
memoriam, ſanctaque ad gratitudini
aram pro Tua incolumitate depoſu
vota. Dum vero iter ad Brandebur
genſes vocatus Phyſicus reſumer
geſtio, nomine Senatus Chemnicenſi
a Syndico Sparta mihi defertur no
contemnenda, quam ut amplexus ſum
de ulteriori ad vos itinere ſpe protinu
excidi. Qvocirca ne omnem Tu
memoriam animo me exuiſſe me
credas, literario commercio inpoſte
rum oralem affatum ſupplere conſtitui
Hoc ut facerem, aures ipſa vellica
gratitudo, urget pietas. Qvod enim
non tantum felici ſidere ſtudiorum ha
ctenus emenſus ſum oceanum, ſed &
proximo meo juxta conceſſum a Deo
T. O. M. talentum inſervio, id un
ſecundum DEUM debeo Cammerho
ſio, Didacticorum facile Principi, cuju
famam & fortunam perpetua ut reſpi
ciat gratia ſummus Arbiter, cordicitu
voveo, voveamque dum vivam. In
terea, ut gratam Tui Garmanni ſerve
memoriam, en Inauguralem diſcurſum
in

ipſa natum arena , cum paucis fe-
ivitati meae nuptiali dicatis carmini-
us. Addidiſſem & alia ſpecimina
cademica, ſi vel unum eorundem e-
emplar ſuperfuiſſet. Prodibunt ea ad
autorum & Typographi inſtantiam,
rca nundinas Paſchales, duplo auctio-
, cum aliis curioſis commentariolis,
que tunc redhoſtimenti loco pariter
me expectabis. Interim quid apud
os agatur , & an quaedam etiam de
ethodo in arte noſtra Te digna exco-
taveris, hac occaſione ſcire deſidero.
n Nob. *Otto* veſter *Gõricius* adhuc lu-
m uſurpet , quidque novi moliatur
Mechanicis Vir celeberrimus, ne me
lles. Celebrem hunc reddidit in-
rumentum pro declarando vacuo,
uod delinearunt *Schottus* & *Haupt-
annus*. Ante hunc idem volvere
xum e modernis *Drebbelius*, *Fluddus*
Pater Valerianus M. qvem publica
ſſertatione refutavit *Chytræus*. Viſu
percipi in Aere docuit *Borellus*.
echanicis experimentis id etiam pro-
re conatur *Helmont*. Spiritum mun-
ex Aere peculiari inſtrumento
H 3 praedictum

praedictum Dn. *Góricium* extraher
juxtim fama fert. Tentavit id hactenu
& Hallis Saxonum Dn. *D. Nietneru*
medicamentumque confortativum ex
inde paravit, quod tamen depraedicata
hactenus minime praeſtitit virtute
Talis mundi Spiritus an detur, adhu
dubito, vereorqve, ne tales pro Junon
nubem exoſculentur. Similes hos di
in diſcurſu meo *de Gemellis & part*
numeroſiore, illis apud Plinium, qui
cineribus Phœnicis medicamenta com
ponebant. Sed haec Tu me meliu
eo qvo polles mentis acumine enuclear
vales, quid ſentias igitur reſcribas, &
qvae alia curioſa poſſideas, ea mihi n
invideas. Vale. Chemnicii, Calend
Sept. 1668.

EPISTOLA XXV.

INFULÆ DOCTORALI GRATULATIO.

L. Chriſtophoro Erneſto
Stempelio
L. C. F. Garmann
CHEMNICIO *ANNÆBERGAM*
S. P.

EGo vero libenter audivi a Clariſ
Naevio

'aevio, Apollinis noſtri erga Te affe-
:um, utpote cui placuit brabea brabeis
ccumulare , dignaque Te tandem
urpura coruſcantem nobis ſiſtere.
ortiter hactenus excoluiſti artem no-
ram ac gnaviter , Oceanum noſtrum
ndem tranaſti feliciter. Servaſti
ves, civiumque Proceres, quid reſtat
itur? Corona , non querna , prout
lim dabatur.

Civem ſervanti querna Corona,
d aurea , cujus partem ipſe aureus
pollinis tripus ſibi vendicat. Æſcu-
pius hactenus Tibi ante oculos, qui

Acutum modo ſuſtinet Draconem:
Nodoſum modo ſuſtinet bacillum:
Vernantem modo ſuſtinet Chely-
drum:
Gallinae modo ſuſtinet maritum.

nimarunt Te dicta Æſculapio noſtro
ddita hieroglyphica, ut evaderes talis,
ualis mox pronunciaberis. Inſtar
raconis acumine artis noſtrae luſtraſti
odita : tricas ejusdem ut enodares
nproba ſedulitate, nodoſus Tibi dicti-
vit bacillus : ut priſtino vigori reſti-
ueres corpora Morbonae mancipata,

 ſerpens

ſerpens autor fuit ; ut vigilanter Chymiae excuteres arcana,

Lucis nuncius, & ſtrepente cantu
Noctis inducias obire natus

Gallus Te docuit. Non illos ſecutus es, qui laciniam purpurae aſſuunt noſtrae empirico conamine, anicularum ſuperſtitionibus dudum miſiſti repudium. Vera methodus medendi mercurialis inſtar ſtatuae Tibi fuit, rationique juncta experientia.

Bonis igitur avibus cape, quod mereris, & inpoſterum de arte noſtra bene mereri perge. Ita Artis Antiſtites, ita Patria, ita Tui lætabuntur. Addo & mea vota, prout praeſenti variis circumventus negotiis inconcinno, a bona tamen mente profecto carmine teſtari volui. Quod ut pro Tua Humanitate & amica in me propenſione bene conſulas, opto. Vale interim, mihique inpoſterum favere perge.

Chemnicii, d. 9. Sept, 1668.

EPISTO-

EPISTOLA XXVI.

ALVE ACADEMICUM REITERATUM.

D. Philipp-Jacob-Sachſius
L. C. F. Garmanno

RATISLAVIA CHEMNICIUM.

S. P.

Cum ante aliquot menſes per Mercatores Schneebergenſes E. T. hemnicio literas accepiſſem, maximo erfundebar gaudio, quod ſingulis noris nundinis, qvater nimirum ad inimum per annum E. T. eruditisſimo cerarum commercio frui liceret. uare abeuntibus Schneebergenſibus omitem adjunxeram reſponſoriam & e felici E. T. conditione gratulatoriam, quae ex conceſſa mihi a ſpectabili urioſorum Collegio E. T. pro meritis numerum & Societatem Curioſorum ſciperet. Vereor autem, ne in terreri itinere per incuriam Veſtratium aufragium fecerint, cum his nundinis ullae ab E. T. remearint reſponſoriae.

 Quare

Qvare adhuc hac vice tritam repeto ſemitam Schneebergam verſus, non deſiſtam tamen his nundinis Lipſienſibus, Lipſienſem quoque tentare viam Chemnicium verſus, ut eo certius E. T. aditum aſſequantur literae. Quare ſi priores E. T. muſeum intraverint; repeto priorem meam cantilenam, ut E. T. non dedignetur Choro Curioſorum aſſociari, ex ungvibus enim, diverſis aliquot ſcriptis editis, ſat cognovimus robur Leonis, & ex acceſſu E. T. & aliorum Eruditorum Virorum, majora in dies incrementa ſibi pollicetur Collegium, praecipue ſi inpoſterum Magnatum ſuccedat munificentia & favor, quem ab Electore Moguntino Collega noſter Exc. D. Petri dedicando Carduum ſanctum impetrari, ego vero ex Aula Caeſarea ſplendores quosdam Collegio me impetraturum confidimus. Plura in proximis literis. Vale Vir Excell. & proxima occaſione mentis receſſus explica.

Uratislav. 23. Sept. 1668.

EPISTO-

EPISTOLA XXVII.

PRO HUMANA INVITATIONE GRATIARUM ACTIO. MULTA DE COLLEGIO CURIOSO.

D. Philippo Jacobo Sachſio
L. C. F. Garmann

CHEMNICIO *URATISLAV.*

S. O.

EXoſculor affectum & favorem Tuum, quem mellitisſimis tuis literis nuper mihi iterum intimaſti, dum me non tantum Ordini Veſtro aſcribere voluiſti, ſed & ut idem praeſtarent Excellentisſimi Dnn. D. Fehrius & Schmidius, ille Praeſes, hic Adjunctus Collegii Veſtri, incitamento fuiſti. Quas vero Tibi Vir Nobilisſ. referam grates? quae officia in ſinum Tuum refundam? Collegam me vocaſti, ſervus Tuus ero, cultorque Nobilisſ. T. Exc. perpetuus. Ægre interea fero fati acerbitatem, quae ferias indixit Muſis tuis & mentem utilibus curis immerſam

immerſam alio traxit. Scis fati neceſſitatem, & nos ſaepe reſpirare, non ut vivamus, ſed ſuſpiremus, vivere vero ut concatenatis exerceamur calamitatibus. Proinde animum inpoſterum his curis exue, & ad ſeveriora & jucundiora eundem transfer, cumprimis qvia fel illud melle temperare voluit divina Clementia, orco deſtinatum filium unicum in vitam revocando. Vivat ille, ut in eo vivat Pater, vivat Pater, ut ſimilis Patri aliqvando vivat filius. Meletemata Tua γλυκύπικρα iis adjunxi, qvae memoriam Fautorum & Amicorum apud me ſervant ſartam tectam. Quae remittam non habeo, praeter pauca qvaedam nuptiis nuperis meis dicata carmina, quae non idcirco transmitto, ac ſi ea aſpectu Tuo digna judicarem, ſed ut literarium commercium hactenus omiſſum tacite excuſarent. Cognomen Caſtoris aut Pollucis propoſuere Dnn. Svinfurtenſes, occaſione diſſertationis de Gemellis, & quia his ita placuit, Pollucis elegi. Materiam publice orbi ſiſtendam ad normam Curioſorum, dabit Pica loqvax, & divinans

illa

-la virgula Corylus. An alius Colle-
-arum forſan in his ſit occupatus, data
-ccaſione reſcribe. Sancita Ordinis
-eſtri placent, ut & ea, quae a Beato
-ephyro tradita Gammarologiae Tuae
-ſeruiſti. Manca tamen ex parte, ſal-
-a Dnn. Concipientium exiſtimatione,
-ihi videntur & imperfecta. Collegi-
-m aut Academia ſi eſt, in Ordines
-uosdam eandem ad normam Collegii
-egii Anglicani diſtribuendam cenſe-
-em. Qvinque vero cumprimis am-
-ecterer; ita ut I. eſſet Botanicorum.
. Anatomicorum. III. Chymicorum.
V. Chirurgorum. V. Practicorum.
-niores Botanicae & Anatomicae
-ſcribantur claſſi. Chymicae aut
-hirurgicae per quinquennium, & tunc
-enerandorum Practicorum inſerantur
-oro. Sic enim juniores dum per
-mnes gradus curioſitatem exercuere
-am, perfectiores evadent iis, qui
-ſolutis ſtudiis Academicis unice ſe
-vent Praxi. Unicuique Ordini ſuus
Praeſes, ad quem experimenta facta
-ittenda. Accepta experimenta aut
-roblemata curioſa aliis ejusdem Or-
dinis

dinis examinanda ille transmittat, quo facto Directori ſeu Praeſidi ſummo communicentur, ut lucem videant publicam. Ut Angli & Galli non tantum propria experimenta propalant, ſed & ab aliis propalata examinant, quidque de hoc vel illo libro ſentiant edicunt; ita & nos eorundem veſtigia legere poſſemus, Germanisque pro cerebro non eſſe fungos liquido demonſtrare. Profeſſorii Ordinis Viri in celebrioribus Academiis Albo noſtro ut inſcribantur pariter annitendum ſedulo, non tantum quo juniores eorundem veſtigia premant, ſed & ut curioſa ab hoc vel illo facta experimenta & inventa reliqvis Collegis communicentur. Archiatri etiam Regum, Principum & Magnatum non exulent, an forte hac via Illuſtri Capite Collegium noſtrum ſuperbire poſſit. Nec Comites, Barones, aut Nobiles doctos & Curioſos ego excluderem cum Beato Zephyro, major eidem ut addatur autoritas. Quod ſi ante opera abſoluta diem ſuam obeant Collegae, fragmenta eorundem ſedulo a Praeſide ejusdem Ordinis

colligan-

olligantur, & ſummo Directori tra-
antur, ne pereant, ſed ab aliis conti-
uenturCollegis. Edendis fragmentis
rogramma Academicum de ortu, vita
morte Authoris praefigatur, quod
iam fieri poſſet, ſi poſt mortem
uthoris libri ab eo editi recudantur.
ngulis annis ſummo Directori trans-
iſſa Problemata, Experimenta, In-
enta, &c. ab Adjunctis in ordinem re-
gantur, & ne hac in parte aliquid ſin-
ılare habeat Gallia aut Anglia, typis
vulgentur, quod ut ſumme proficuum,
a Academiae noſtrae magnae cedet
ıtoritati. Sufficiant haec, ne limites
piſtolae excedam, & onerariam affe-
are videar, qui celoci regundo non
fficio. Scripſi haec, quia juſſiſti, quia
oluiſti, non ut leges tot Celeberrimis
iris praeſcriberem, ſed ut mentem
ıeam ad nutum Tuum candide ex-
ectorarem. Interpretare haec pro
ua humanitate, & ad qvaeſita mea
ıdum propoſita data occaſione re-
onde. Vale interea, & me, ſi merer-
or, ama.

Chemnicii, prid. Calend. Octobr. 1668.

EPISTO-

EPISTOLA XXVIII.

GRATIARUM ACTIO PRO GRATIOSA RECEPTIONE IN COLLEGIUM CURIOSUM.

D. Joh. Michaeli Fehrio

L. C. F. Garmann

CHEMNICIO *SVINFURTUM.*

S. D. P.

ACcepi tandem Tuas & Nobiliſſ. Dn. D. Schmidii, d. 22. Jun. ad me datas, Calendis Auguſti. Sero qvidem, neſcio qvo impedimento, advenere, exoptatae tamen & deſideratae, idcirco magis gratae & acceptae. Etenim qvam non erga me immerentem ſpargunt humanitatem? quae non inſignis favoris produnt veſtigia? Collegam me optas Tuum, Venerande Senex, me, inquam, cui conveniret ad pedes tuos ſedere, mirandaque Tua eruditione mentem illuſtrare & exſaturare. Solis in hoc, Phœbe noſter, facem imitaris, qvae non tantum montium ca-

umina, ſed & valles & loca abjecta ra-
orum favore illuſtrat. Quae mea ſit
nuitas, dudum didici, quae Tua vero
ruditio & in Naturae arcanis expli-
ndis felicitas, Tua loqvuntur ſcripta.
t igitur inter rara meae felicitatis mo-
umenta id merito repono, quod a
nto Viro provocor, tamqve Nobilis
ollegii pars conſtituor; ita immenſum
oleo, quod literae meae jam ante an-
um datae, una cum diſcurſibus qui-
sdam Academicis ad Vos non per-
enerint. Ne igitur in hoc Tibi, Vir
agnifice, amplius deſim, diſcurſuum
uae adhuc ſuperfuere Exemplaria
itto, utq; qvod a Tua luce ſplendorem
is mutuare voluerim, in bonam in-
rpreteris partem, juxtim peto. Ma-
ifici Dn. Bauſchii tunc me latebat
itus, nec puto in ſcopulum me im-
egiſſe, dum etiam manes tanti Viri ho-
ore proſecutus ſum, qvem vivũ digno
comio mactare non potui. Quae
nominis electione ſcribitis, placent,
ſi per Vos licet, Pollucis mihi ſumam,
on quaſi crederem ambitioſe me tale
omen mereri, ſed ut incitamento
I mihi

mihi ſit, inpoſterum eo ſummo ſtudio collimare, quo ſi non Phœbea face, ſaltem pauculis qvibusdam radiis artem noſtram illuſtrem. Cui fini ad normam Methodi Veſtrae Picam & Corylum vobis, dante DEO, ſiſtam, & futuris nundinis de miraculis mortuorum Schediaſmata, de Plantis monſtroſis Exercitationes, & diſcurſum de Gemellis auctiorem, cum annexa Theoria morborum Embryonis in utero, cum aliis in lucem mittam. Tu qui in his Naturae arcanis eximie verſatus es, beneficia beneficio adde, rarasqve Tuas obſervationes cumprimis circa Plantarum monſtroſitatem, (tales enim Te habere in Epiſtola ad Heſperum noſtrũ, una cum Plantae monſtroſae Icone mihi ante annum ab eodem amice communicata fateris) pro Tua Humanitate communica. Inſeram easdem cum honorifica nominis Tui mentione, & candide dicam, cui mea debeam. Vale interim, Vir Magnifice, meque inpoſterum favoris Tui radiis exhilarare perge. Chemnicii, Calend. Octobr. 1668.

EPISTOLA

EPISTOLA XXIX.

EJUSDEM CUM PRÆCEDENTE ARGUMENTI. TRACTATUS DE FERRO. ARBOR MEDULLA FERREA.

D. Eliæ Schmidio
L. C. F. Garmann
CHEMNITIO SVINFURTUM.
S. D. P.

QUid hoc eſt, Vir Excell. quod me tantis obruis Humanitatis radiis? Tantus primus horum fuit impetus, ut quid reponam, qvibusve officiis & ſervitiis immeritum hunc favorem rediſ...ere poſſim, haeream. Verus mihi ...deris Phaëton, qui feliciori niſu prae ...o Poetarum doctum non ſolum ac...endis orbem, ſed & doctorum admi...tores flammis Humanitatis Tuae ...flammare tentas. Quae mea ſit ...nuitas, probe mihi notum, quae ...ero Veſtra eruditio, orbi dudum pro...ilaſtis. Verbo dicam: Corpora eſtis,

 ego

ego umbra. Sidera artis ſpectatae
magnitudinis, ego ſcintilla volans. U
ut vero res meae ſe habeant, tamen hoc
ipſo mihi in aures inſuſurrare volui-
ſti, neminem doctum eſſe, niſi ſit inſimu
humanus. Qvocirca fungum pro ce-
rebro geſtarem, ſi hanc Veſtram non
grata mente agnoſcerem & exoſcularem
Humanitatem. Scio corporis noſtri
partes ſe ipſas nobilitate & excellentia
vincere, in communem tamen totius
conſpirare utilitatem. Dum igitur me
tanquam ignobile membrum nobiliſſi-
mo Veſtro Ordini adjungere voluiſtis,
idem Vobis animus, eadem fuit inten-
tio. Collegam me vocaſtis, ſervus
ero Veſter & humillimus cliens. In-
terim Exemplaria deſideratae Diſſer-
tationis juxtim transmitto, & Carmina
nuptiis meis dicata, ut eadem moram
in reſpondendo tacite excuſent. Tuum
de ferro Tractatum non vidi, Te tamen
in alma Lipſienſi ſub praeſidio Dn. D.
Michaelis de ferro diſputationem habu-
iſſe comperi. Auxiſti ſine dubio ean-
dem nobilibus obſervationibus & ex-
perimentis. An etiam in eodem te-
tigeris

geris hiſtoriam illius arboris, quae
ſte *Petro Servio tr. de ungvent. ar-
am.* medulla gaudet ferrea, cujus eti-
n mentionẽ feci, in *ſect. 1. Exerc. 1. §. 3.*
Plantis monſtroſis qvem tractatum
turis nundinis, DEO dante, in lucem
ittere decrevi, ſcire aveo. Tu, ſi
iaedam de hac forſan concepiſti, pro-
mis literis indicabis, carmenque iſti
eri praefigendum, ut & nomina Dnn.
ollegarum, qui poſt editum Salve
cademicum Veſtro Ordini dedere ſa-
amenta, adjunges. Interea quem
ibi amicum elegiſti, favore Tuo in-
ſterum proſequere, cœptumqve
mmercium literarium promovere
enue perge.

Chemnicii, Calend. Octobr. 1668.

EPISTOLA XXX.
E CARDUO SANCTO.

. Georgio Chriſtophoro Petri
L. C. F. Garmann
HEMNICIO *ERFURTUM.*
S. P. D.

TE vero ſalutare, & humanitatem

 tuam

tuam compellare, ſi vel nulla alia cauſa urgeret, urgent autem plurimae. Academiae noſtrae Curioſae laudabile inſtitutum eſſet, quae me Veſtro ordini aſcripſit, adeoque T. Excell. data occaſione alloqui tacite non ita pridem juſſit. Nec Nobilisſimus Phoſphorus noſter hic excludendus, utpote qui in nuperis ad me datis Cardui Tui Curioſi mox edendi mentionem fecit. Egregium ſane factum, quod etiam naturam in abjectis magnam curioſa demonſtrabit indagatione. Magnam hactenus reportarunt gratiam, qui orbi erudito dedere lilia mixta roſis, majorem ſane mereberis, Vir Nobiliſſ. qui in re abjecta divinitatem quaeris & invenis. Rem nobilem laudare, uniuscujusvis eſt, ignobilem vero nobilitate donare nullius, niſi Tui, Tuique ſimilium. Spinas iſtas & tribulos maledictionis ob praevaricationem creaturae etiam benedicti quid in ſinu fovere, Te duce novimus. Merentur inde vere nomen benedicti cardui, & inter medicamenta manus Deorum dicta locum merebuntur. Quid vero

de

ſpinis & tribulis iſtis Paracelſicis &
elmontianis microcoſmo fatalibus?
iſcusſiſti forſan pro ingenii Tui a-
mine in praefato Tuo tractatu hoc
gumentum, ſpinoſaque eorundem
viſti problemata. Quid pariter de
cteis in lacteo Carduo fluminibus
ntias, curve lacteſcentes plantae fo-
lacteo non monſtrent colore, non
cteſcentes contra albeſcant ſine dubio
dem dilucidaſti. Deprehendi in
rduo aliquando varios Naturae luſus,
ium ſpinis deſtitutum reliquis ſpi-
ſis, caput circa radicem floridum,
meroque ſimul inſigniter in ſummi-
e luxuriantia & connata capita. An
opter ſignaturam Pleuritidi medea-
Carduus, vix perſvadeor, quia fal-
& fere ridiculum ab hoc quod de-
nitur effectu judicium eſſe, ipſa
perientia edocti monſtrarunt Sen-
rtus, Helmontius & alii. Si propter
naturam Pleurae puncturae medetur
rduus, cur non & capitis, pedum bra-
orumqve puncturas ſimiliter profli-
. Si Carduus Mariae antipleuriticum
, eodem modo id praeſtat, quo En-
F 4 divia

divia, lactuca, & reliqua refrigerantia inflammationem & ſangvinis aciditatem temperando & privative quaſi praecipitando. Sed cur his immoror, non ut Te moneam aut doceam, ſed ut te Doctorem in his curioſitatibus inpoſterum habeam, & ſequar. Tu pro TuaHumanitate haec interpretare, meque celeberrimi nominis Tui cultorem clientibus tuis annumera. Carduus Tuus ne a me inſalutatus lucem videat, ſequens adjunxi Epigramma, ſiqve meis de Plantis monſtroſis, & mortuorum miraculis exercitationibus futuris nundinis, Deo dante, prodituris, Epigrammata pariter praefigere vellet T. E. rem ſane mihi gratisſimam praeſtaret. Literas cum Epigrammatibus ad me deferri curabit Dn. Chriſtianus Kircherus Bibliopola Lipſienſis. Vale.

Chemnicii, d. 25. Octobr. 1668.

In Carduum Curioſum
Dn. D. PETRI.

Cardue, ſpinoſis qui turges undique criſtis,
Cardue, triſtis agris, triſtior Agricolæ.

Te

[T]e ne juvat poſt hac benedicti ſumere
nomen,
Atque manus dias (θεῶν χεῖρας) inter habere locum.
[T]e veniente, fugit Pleuritis & ipſa Phlogoſis,
Febrilisque horror, te veniente, fugit.
[O]bſtructos reſeras renes, quo ſalſa canales
Flumina transmittant, Cardue ſancte, facis.
[C]ardue, terribilem te dixerat hactenus omnis,
PETRI, qui ſanctum redderet, unus erat.

ZOILO ſanam mentem!

[S]i pro more tuo rodere carduum
[P]ETRI Te juvet hunc, Zoile, cogites,
[P]raeter torvum aſinum & Cyprigenae gravem
[P]orcum, nullum animal rodere Carduum.

EPISTOLA XXXI.

DE MACULIS SCORBUTI, ET PEDICULIS IN CADAVERE.

D. Valentino Andreæ Mollen-
broccio

L. C. F. Garmann

CHEMNICIO HALAM SAXON.

S. O.

AB eo tempore, quo ſcripta Tua cedro digniſſima, cumprimis aureum de Varis tractatum videre mihi contigit, non tantum ſemper magni Te aeſtimavi, ſed & literario Tecum frui poſſem commercio, ſerio optavi. Calamum vero officioſum quoties arripui, toties ejus fervorem repreſſit mea tenuitas, & defecata Tua eruditio. Jam dum novus Academiae veſtrae audio Collega, Magnif. & Nobiliſſ. Dn. Fehrio, Schmidio, Sachſio & Majore me perhumaniter invitantibus, frontem tandem deponere, excuſſoqve omni rubore, in conſpectum tuum venire decrevi. Quod ut facerem cumpri-

rimis Humanitas Tua flagitavit & in-
gnis experientia , ob qvam Gallum
ibi quilibet mactare, & debitum cul-
um tanquam Æſculapio noſtro defer-
e debet. Id dum parare geſtio, com-
iode mihi jam ſuccurrit illa in prae-
ito Tuo tractatu *c.3.p.14.* §. 12. hiſtoria
e Studioſo illo Lipſienſi Hempelio,
ui demum poſt mortem maculae ſcor-
uticae per totum corpus erupere.
um igitur illa eruptio non im̃erito mi-
culis mortuorum annumeretur , &
go lapidem iſtum jam volvam, quae
ujus eruptionis ſit cauſa, non vana me
net ſolicitudo. Maculas iſtas ſangvinis
orbutici eſſe progeniem in confeſſo
t omnibus, qvod vero erumpant, na-
rae bonitas & robur, & materiae fa-
t turgeſcentia. Qva contingente e
ajoribus ad minores venas, & ex his
l capillares detruſo humore oſcula
rundem aperiuntur, & talibus ſtig-
atibus defœdatur cutis. In cadavere
ero dum conſpiciuntur , cauſae prae-
ctae locum habere minime videntur.
eſunt Spiritus impetum facientes, na-
rae illud robur, ceſſatque maximam

par-

partem humoris fermentatio. Calorem praeternaturalem allegas, Vir Nobiliſſ. ſed an hic poſt mortem maneat in corpore ſpiritibus vacuo, haereo, & ut ut hic detur, cur fortius agat expellendo in demortuo, quam in vivente, cauſam ſcire vellem. Ego dum partes ſuas liquit anima, ultimum Naturae conatum hanc expulſionem promoviſſe dicerem. Ita videmus in Epilepſia & Apoplexia extinctis dorſum nigricantibus & cœruleis tinctum maculis, in hyſterica paſſione ſublatis idem advertit *Helmontius*: veneno exanimati pariter maculas aliquot monſtrare, & peſte defunctos bubones excluſiſſe, obſervationes referunt. Unde vero iſta antea non viſorum animalculorum in eodem ſtudioſo turba? Laudat qvidem *Heinſii* ſvada feſtiva *Orat. 36. p. m. 598.* horum fidelitatem, dum hominis comites fidi ac perpetui eum in crucem uſque ſeqvuntur, hoſpitem tamen ſuum moriturum cum videant, agminatim cedunt, unde ariolos nonnulli & divinos, ut jocatur, autumant. Ubi vero delituerit inviſa illa caterva vivi hoſpes comesque

que corporis, non ita patet. In poris corporis aut ſub cute illam potuiſſe haerere, Phtiriaſis docet. An in inſtanti e materia antea praeparata vi iſtius caloris praeternaturalis in corpore relicti, generari potuerit, tu me melius docere potes. Proinde ne prima mea Epiſtola ſtomachum Tibi moveat, & limites deſtinatos excedat, pauſam calamo impero, utque haec e curioſo profecta animo bene conſulas, Humanitatem Tuam ſolicito. Si plures miraculorum in mortuis a Te obſervatorum hiſtorias tua Tibi ſuggerit experientia, eas mihi pro laudabili noſtrae Academiae inſtituto juxtim communica. Allegabo illas non ſine honorifica nominis Tui mentione, & facilitatem Tuam doctae conſecrabo poſteritati. Prodibunt praedicta de miraculis mortuorum Schediaſmata, ut et de Plantis monſtroſis exercitationes, futuris nundinis, queis ſi Epigrammate majorem conciliare velles autoritatem, magnum favoris Tui documentum putarem. Interea vale, ſique reſponſoriis has dignari forte animi ſedet ſententia, eas Bibliopolae

lae Lipſienſi Dn. Chriſtiano Kirchnero transmitte. Chemnicii, 13. Octobr. 1668.

EPISTOLA XXXII.

MACULARUM SCORBUTICARUM IN CADAVERE CAUSÆ. UNDE PEDICULI.

D. Valentinus Andreas Mollenbroccius

L. C. F. Garmanno

HAL. SAXON. *CHEMNITIUM.*

P. S.

Literae tuae mihi admodum gratae fuere, tum quod ſincerum in me affectum ac amicitiam beneficio literarii commercii ineundam, tum quod Te Naturae Curioſorum Collegam factum eſſe, teſtarentur. Gratulor & mihi et toti Collegio de hoc amico et collega. Laudem mereris, quod doctiſſima Tua ſcripta de miraculis mortuorum et plantis monſtroſis bono publico et collegii noſtri incremento in lucem

cem edere pares. Verſus praeſentes rudi Minerva elaboratos, ut aeqvo animo accipias, meque etiam Tuis eruditis, cum brevi, cum DEO, tractatus meus de Varis longe auctior & emendatior proditurus ſit, atque aliis ad argumentum hujus rei facientibus a Te obſervatis, bees, commerciumque literarium inter nos matures & continues, eſt quod rogito.

Ad quaeſtionem propoſitam: Unde ſcilicet maculae & pediculi in Hempelio, cujus in jam nominato tractatu n. 14. mentionem feci, poſt mortem provenerint? Reſpondeo: Rarum non eſſe, maculas Scorbuticas poſt mortem effloreſcere, ſicut id ex *Sennerti lib. 3. Med. Pract. part. 3. ſect. 2. c. 4. p. 576.* & *Gr. Hòrſt. de Scorbuto Sect. 2. §. 5. p. m.* 226. patet. Cauſam harum protruſionis, in virtutem caloris praeternaturalis poſt mortem adhuc ſuperſtitis, non autem naturalis, utpote qui cum anima abiit, tranſtuli. Per calorem praeternaturalem vero intelligo putredinalem, qui, ut experientia conſtat, aliquando tantus eſt, ut aegrotantium

tium corpora, humum gelidiſſimam aut frigidiſſima marmora excalefaciant, imo poſt mortem calidiora ſint ac fuerint in vita, nam luxurians putredine ſangvis, turgentesqve humores, calore naturali, cujus dominio ſubjecti erant, extincto, ſui juris facti, ebulliunt, ac impetu, qvocunqve libet, facto, erumpunt, unde cadaverum maculae, livores, rubores, ſtigmata & cruentationes contingunt, atqve Nicolai puero apud Hippocr. *l.* 5. *Epidem. text.* 85. poſteriora rubra ſunt facta, eandemque ob cauſam ſine dubio uxoris meae Aviae ante aliquot annos poſt mortem tubercula inſtar milii Solis in toto corpore apparuerunt, idqve praeprimis in cadaveribus ſcorbuticorum ob ſalium ſylveſtrium & inter ſe contrariorum in ipſorum ſangvine abundantium ebullitionem et pugnam, qualem qvoqve in praeparatione tartari vitriolati videmus, haud difficulter fieri poteſt. Nec harum macularum propulſio naturae robori ſemper, ſed non raro materiae copiae imponenda eſt.

Pediculos in ſangvine ob nimiam ejus

ejus corruptionem genitos, ex poris cutis agminatim excurrentes, cadaver, denegata ſangvinis dulcedine, pro more ſuo deſerturos, ob ingratos tetros & malignos ex cadavere tali exhalantes vapores, inanimes quaſi ac debilitatos, ulterius progredi non valuiſſe, atqve ita ibidem detentos fuiſſe, autumo. Putredo & fermentatio verminoſa *Kircheri*, ſi locum haberet, lucem huic rei adderet. Hic filum propter anguſtiam temporis, quae & tardae reſponſionis cauſa eſt, abrumpere cogor. Vale cum Tuis feliciter, & ut cœpiſti, favere perge.

Qvae ſcriptitas MIRACULA,
GARMANNE, Vir CLARISSIME?
An MORTUORUM ventilas
MIRACULA? an viventium?
DEMORTUORUM ſcriptitas.
Qvid eſt? qvid hoc rei novae?
Num Mortui MIRACULA
Poſt fata poſſunt edere?
Poſſunt & edunt ſaepius.
Ergo tuis digniſſima
Sunt ventilationibus
Doctiſſimis MIRACULA

Demortuorum ſingula,
Fac ut brevi MIRACULA
Tua videam, videre qvae
Congeſtio qvem maxime.
Si ſic opus totum Viris
Aliis placet doctisſimis,
Sicut mihi rariſſimi
Inventio placet thematis,
Vere feres CLARISSIMI
Titulum Viri & DOCTISSIMI.
Merces erit, qvae dignior,
Olympicam qvam ſi feras
Palmam celebri in Graecia.

d. 4. Decembr. 1668.

Halis Saxon. deproperat
VALENTINUS ANDREAS
MOLLENBROCCIUS D.
Med. ib. Ordinar. Academ.
Curioſor. Pegaſus.

EPISTOLA XXXIII.

VARIA DE SERICO.

D. Joh. Michaeli Fehrio
L. C. F. Garmanni
CHEMNICIO *SVINFURTUM.*
S. D. P.

TUas 4. Julii ad me datas 10. Octobr.
demum

lemum accepi, conſtantemqve Tuum
n me affectum laetus exinde perſpexi.
Dolui vero animitus juxtim, valetudi-
nis Tuae quae perſentiſcis incommo-
da: Faxit, ut dexteriori fruaris prope-
diem, divina Clementia. Qvod de ac-
ceſſu meo ad Phyſicatum Chemnicen-
ſem ſcribis, ille factus eſt Calendis Maji
anni nuper elapſi, quod Excellentiſſ.
Schmidio, qvem amice ſaluto, literis
nuperis ad Magn. V. & illum datis, in-
timavi. De Serici illius monſtroſi ve-
ritate, non eſt quod amplius dubites.
Ipſe fila illa in Aulam Martisburgenſem
delata vidi, horum unum adhuc aſſer-
vat Halis Saxonum amicus meus Dn.
D. Auguſtus Schaefferus. Qvia tum
temporis extra Patriam verſabar, ho-
rum poſſeſſione excidi, ut idcirco Tibi
hac in parte, quod doleo, ſatisfacere
neqveam. Poſſidere etiam dicitur ho-
rum aliqvot Numburgi Excell. Dn. D.
Eringius, a cujus facilitate ſi unum at-
que alterum impetrare potero, prope-
diem transmittam. Hiſtoriam hujus
texuit qvidam Lipſiae, prodigiorum
talium ſedulus compilator *M. Johannes*

Praetorius. Judicium alicujus Viri docti non vidi, praeter Diſſertationem Phyſicam de Filis Meteoricis (ita vocat pulchre D. Virginis fila) qvam ſub Praeſidio *M. Sebaſtiani Kirchmajeri* Wittebergae d. 9. Maji anno 1656. habuit *Bernhardus Barnſtorff Roſtochienſis.* In fine hujus Diſſertationis mentionem hujus Serici facit, nilque monſtri ejusdem productionem alere aſſerit, praeter ſolam firmitudinem, qvae paulo fuit inſolentior, colorem cœruleum dedere nebulae mixtae, exhalationes eodem colore tinctae, firmitatem & longitudinem exhalationum copia & ſpiſſitudo. Monſtrat id exacte materia in inteſtinis Bombycum apparens, e qva Sericum conficiunt. Ipſe tum temporis raritate hujus prodigii motus, exercitatiunculam de Serico hoc horis ſucciſivis conſcripſi, & variis novis de bombycibus & araneis obſervationibus hoc argumentum illuſtravi. Mittam illam ad Te proxima occaſione, Curioſitati Tuae ut ex parte ſatisfaciam. Quod in Chinae regno ſericum in arboribus reperitur, illi mirum non videbi-

videbitur, qui conſiderat bombycum in illo regno copiam, ut etiam ſylveſtrem agere cogantur vitam. Idem de Florida Inſula legitur apud *Joh. Ludovic. Gottfrid. Hiſt. Antipod. part.2. p. 325.* E ſylvis poſtmodum induſtria hominum bombyces tranſtulit, qvod etiam *Vida l.* .. *de Bombyc.* annotat. Ut igitur aeſtivo tempore erucae in ramis arborum ſua ſuſpendunt fila, ita & ibidem bombyces. Hoc non praetereundum, in Inſula Summers araneas fila texere de arbore in arborem, craſſitiem ſericeam ſuperantia, & adeo firma, ut aves ſi illis implicentur, ſe inde extricare neqveant, quod & annotavit *Gottfrid. c. l. part. 1. p. 280.* Muſcum viridem & cœruleum in floribus & arboribus reperi in Florida, qui ita ad ſerici formam accedit, ut Reginae & Virginibus pro ornamento ſit, *idem* confirmat *c. l. p. 264.* ciagraphiam tractatuum meorum inluſam mitto, utqve experimentis Tuis illis lucem affundas promiſſam, obnixe rogo. Interea vale & favere pere. Chemnitii, Calend. Januar. quae ut Tibi ſint auſpicatisſimae, cordicitus voveo. 1669.

EPISTOLA XXXIV.

DE PULVERE LYCOPODII, PINI, ET CORYLI.

D. Philippo Jacobo Sachſio
a Lewenheim
L. C. F. Garmann

CHEMNICIO *URATISLAV.*
S. P.

CAlamum tandem niſi reſumerem officioſum, in ipſum amicitiae noſtrae fœdus peccarem, qvippe qvod his Calendis Januar. Vota pro Fautorum & amicorum ſalute ſerio litare jubet. Cum igitur in meorum numero Tu primum obtineas locum, ut inpoſterum Ordinis noſtri incremento & decori vivas & valeas, voveo Tibi noſtro Phoſphoro mera ſerena. Meas elapſis nundinis Lipſienſibus Te accepiſſe, nullus dubito, meumque Veſtro Ordini ſtudium nullo non tempore ſacrum exinde intellexiſſe. Vos jam nova & perfectiora Ordinis praedicti noſtri ſtatuta, una cum novo Collegarum

Catalogo

Catalogo meditari, nuper Dreſda ad me qvidam amicorum ſcripſit. Qvod ut in incrementum Ordini noſtro cedat, animitus opto. Qvae curioſum Tuum animum jam oblectare poſſunt, jam non occurrunt, niſi forſan id praeſtaret Lycopodium ſeu Muſcus terreſtris. Scilicet ille menſe Auguſto & Septembri pulverem dat ſubtiliſſimum, qvi non tantum exſiccat vulnera, ut habet *Schrœderus in Pharmacop.* ſed & a noſtris mulierculis propinatur infantibus Cardialgia & torminibus alvi flatulentis laborantibus, vocant den innerlichen Freſel/ inde vocatur das Freſel-pulver/ Lipſienſes vero die ſchwere Noth im Leib. *vid. Dravvitz.* Aliam praeterea curioſa indagatione non indignam parit jucunditatem iſte pulvis, dum vi fulminante gaudet, qvod nec Perſis ignotum, ut notat *Olearius l. 4. Itin. Perſ. c. 24. p. 460.* Pulvis recens dum eſt et probe ſiccatus, majus concipit incendium, prae illo qui dudum collectus eſt. Hoc anno collectioni hujus anni tempeſtas pluvioſa obſtitit. An blandum illud fulmen, a calidi et humidi repugnantia, an a reſinoſa ſubſtantia pro-

 veniat,

veniat, ſi qvaereres, utrumque admitterem, cumprimis qvia teſte eodem pulvis e reſina idem praeſtat. Cur vero prunis injectus non tonet, ſed flammae inflatus, ignis violentiae erit adſcribendum. Verno tempore Pinus pariter talem ſpargit pulverem, qvi vento tumultuante pluviae mixtus ſulphuream mentitur pluviam, ut annotavit *Crügner* im Chymiſchen Tannebaum/ *Mœllerus in Annal. Freibergenſ.* Contra Scorbutum illum valere hariolor, eo qvod Pinus inter Antiſcorbutica cumprimis eminet. E Corylo talem etiam acqvirere verno tempore poſſumus, qvi inter ſecreta contra Epilepſiam fuit Dn. D. Ganzlando Archiatro Dreſdenſi. Sed de hoc in Corylo meo Curioſo. Tua an de his pulveribus aliqvid Tibi ſuggerat experientia, quidque de his ſentias, proximis ſignifica. Liqvor Tuus refectivus qui in multorum ore eſt, quomodo paretur, ſcire aveo, ejus proinde parandi genuinum modum ſi iisdem inſerere velles, magni favoris arrhabonem reputarem. Sciagraphiam Operum duorum propediem edendorum his incluſam

ſiam reperies, his ut aut Epiſtolas, aut Epigrammata praefigas,& ſi a penu Tuo augmentum capere poſſunt, pro Tua liberalitate promas, opto. Vale.

Chemnic. Cal. Jan. 1669.

EPISTOLA XXXV.

DE PLANTIS MONSTROSIS QVÆDAM. TRACTATUS DE FERRO.

D. Elias Schmidius

L. C. F. Garmanno

SVINFURTO CHEMNICIUM.

S. D. P.

Sol lucent in literis tuis humanitatis & eruditionis Tuae radii, ut legentis fere oculos excoecare valeant, procul dubio, tales Lipſia, Lyceum Amoris & Charitum, Te docuit, auget conſvetudo, ita enim cum Magdalenis novellis loqvi ſolemus; loquere cum illa, loquere etiam nobiſcum, meum eſt acclamare: Feliciter! gratulor etiam de vocatione ad Phyſicatum Chemnicenſem, DEUS omnia Tua cœpta ſecundet, ut gloria

 nomi-

nominis Divini & Garmanni undique celebris fiat. Porro gratiſſimum Nobis fuit, quod tam benevola promtitudine Conſortio noſtro Te adjungere volueris placueruntque omnia, quae de agnomine Pollucis & materia (Pica ſcilicet & Corylo) aſſumere voluiſti, nulli dubitantes, quin egregium fulcrum Collegio noſtro ſis futurus; inſerentur quae ſcripſiſti omnia Albo Academico tenore leg. 14. Speciales inſuper debeo Tibi, Collega ſvaviſſime, grates, quod ſanctos Manes Bauſchianos ſolenni dedicatione diſputationis Tuae venerari dignatus es, memor procul dubio illius: Muſa Virum laude dignum mori vetat. Utinam, ſi votis fata mutare liceret, adhuc dum in vivis eſſet, ſed vita brevis! Sexagenarius erat, cum decederet, ejus Muſeum & bibliotheca ad me venere, in qua poſt beatam Viri ἀνάλυσιν, hunc de cœruleo & Chryſocolla tractatum inveni, quem publici juris & uſus feci, ejus exemplar ad Te transmitto. In dicto Muſeo varia ſunt, quae monſtris Plantarum annummerari poſſent, quale eſt fruſtum ingens ligni
qver-

vercini, poſt tactionem fulminis cry-
tallificati, item cortex quidam arbo-
is in margam (quam ebur foſſile di-
unt) mutatus, roſa Hierichuntica, quae
ſſumto novo humore ſe diſpandit. &c.
e ligno alni narratur, quod ſi cereviſi-
e incoquatur, & in locis ſubterraneis
rena tegatur, in lapideam duritiem
ndureſcat, fecimus periculum, ſed res
on ſucceſſit, adeo induruit lignum, ut
orruptum penitus friabile factum ſit.
ed de his omnium Autorum libri cla-
mant.

Meum de ferro tractatum nondum
bſolvi, ſi quid ad expolitionem hujus
ddere noviſti, fac quaeſo, inſerentur
mnia cum debita & honorifica nomi-
nis Tui mentione. De arbore illa cu-
us medulla ferrea ſit, nihil habeo, ejus
amen ſimile quid habet *Kentmannus*,
ut & de vite aurea, *Phoſphorus* noſter
& *Sennertus*; Carmen incultum appo-
ſui, ſerius vero & poſt feſtum, ut ajunt,
llud venire ſcio, appoſui tamen, ne pe-
itioni Tuae deſim. Numquid modus
Langianus Spiritum ſalis deſtillandi Ti-
bi cognitus eſt? ſi eſt, quaeſo, commu-
nica.

nica. Merſeburgum unde quaeſo nomen habet? adhuc dum ibi templum eſſe mihi relatum eſt, quod olim Marti ſacrum fuerit, verine quid ſubeſt, necne? Dnn. Collegarum nomina in ſequentibus addam, jam impedior ob feſtinationem Mercatoris noſtri abeuntis. Bene vive & optime vale. Svinfurti, 19. Decembr. 1668.

Monſtra ſalutantur Naturae errata, ſed illa
Non errare, tamen ludere ſaepe ſolet.
Hujus nemo ſatis tentavit prodere luſus,
Auſus es, & multo monſtra labore domas.
Praemia quae luſus? & quae victoria manſit?
Dixiſſem prima eſt MAGDALA grata Tibi.
Functio Chemnicii merito Tibi fertur honeſta,
Gloria quae ſtudiis digna ſecunda Tuis.

Quid

uid ſupereſt igitur? GARMANNO gratulor, illi
Sit bene in officio, ſit bene & in thalamo.

Ita Polluci ſuo de novo matrimonio & ſplendida functione gratulatur Phaeton.

EPISTOLA XXXVI.

DE COLLEGIO CURIOSO, ET PLANTIS MONSTROSIS.

D. Joh. Michael Fehrius
L. C. F. Garmanno
Sal. cum auſpicatiſſ. Novennio.

VINFURTO *CHEMNICIUM.*

MIrabere forſan, Excellentiſſ. Vir, quod novo quodam modo E. T. udacter alloquar, ſed id nominis cre: mihi, & quidquid eſt honoris, jure eritoque tuo meruiſti dudum. Salve litur denuo, mellitiſſime COLLEGA, llve S.R.I. Academ. Nat. Curioſorum nmortalis POLLUX, & utere inpoſterum

ſterum hoc titulo ex noſtro juſſu, conſenſu ac Authoritate ab inclyto N. Curioſ. Collegio nobis gratioſe conceſſa, ſalvus & incolumis, diutisſime, feliciſſime; nec unquam deſine, immortalitatem iſtam Polluceam, quam exaſciatiſſ. tuis lucubrationibus jam dudum aſſecutus es, longius proferre, aliisqve velut alter Pollux cōmunicare ea, quae humano generi utut rara, ſalutaria tamen, imo literatis ſcitu neceſſaria ſunt, ideo, quod ad eos tanquam ad Oraculum quoddam Delphicum appellent omnes, quotquot in errorum ſcopulis haerentes, nec tranquillo, nec a ventis agitato mari ſe committere audent: Me certe beaſti diſſertationibus iſtis Tuis tam elimatis ac delicatis, &

ſic ad tria verba revixi,
Ut ſolet accenſo vivere flamma foco.

Doluimus hactenus E. T. literas cum adjectis deperditas, & deteſtati ſumus ſupinam eorum negligentiam, qui lucello ſuo inhiantes, pretioſiſſimas literatorum curas & labores cum aranearum telis ſuperciliose contemnunt. Nemo enim omnium, ſat ſcio, facile repe-

eperietur, qui nos ejusmodi moroſi-
atis aut inhumanitatis arguere auſit,
ui amice provocati (taceo tanto ho-
ore affecti, quod ab E. T, nobis con-
git) commercium literarium dene-
averimus, abſit id vitii ab humano
omine, abſit a Gratioſo noſtro Col-
egio, ſed magno cum fœnore com-
enſaſti jacturam iſtam, prodige litaſti
obis, ac ſi dicere liceat, proterve.
go ſane plurimum Tibi me debere
teor, nec quod reponam, habeo,
iſi chartacea quaedam munuſcula,
uae expetiiſti, ſed vereor ego,
e ſplendidisſimae Tuae Purpurae aſ-
ta illa, obſoletae videantur & attri-
e laciniae, Tuae autem voluntati,
micorum Ocelle, qvidpiam denega-
, nefas eſſe duxi, cum Te cum He-
ero noſtro nugas meas eſſe aliquid
nſere videam, gratulorq; Tibi ex ani-
o, non tam ob matrimonium cum
ctisſima Amaryllide felicisſime con-
actum, quam ob Spartam tam lucu-
ntam a Chemnicenſibus oblatam;
anc, ſat ſcio, Tu bellisſime, illa autem
e deliciofe exornabit;
ivite felices; ſeros numerate nepotes.

Pica

Pica tugurio proprior crocitans, noſtris adveniente Amicũ praeſagire dicitur, quo ipſo augurio perculſa Paſicomſa Tua protinus excepit advenientem hoſpitem, ut Amicum συγχρωτιζόμενον, & Tu virgula divina e Corylo deſumta praemunitus alacriter ipſi dextram porrexiſti, ejusdemque ſimul opera metalliferos Chemnicenſium montes & venas aureas vobis aperuiſtis:

Vivite felices, ſeros numerate nepotes,
Mella fluant vobis balſameusque liqvor.

Tu autem, Excell. Vir, rectisſime mihi facere videris, qvod tantorum beneficiorum memor, utriusque encomia per orbem literarium juſto Commentario depraedicas, quem hic maximopere deſideramus, & ne ulla in re Tibi defuiſſe videar, diſticha qvaedam his adjeci, invita quidem Minerva & cum aetate viribusque jam exareſcente vena, ſed ex animo benevolo, cum omnigena felicitatis comprecatione fuſa, quibus Te cum Dulcimunda Tua & chariſſ. omnibus plurimum valere, Ordinique noſtro diutisſime ſupereſſe,

florere

florere & vigere jubeo. Svinfurti 24. Decembr. ſub funere anni 1668.

P. S. cum Sal. & Off.

QVibuslibet nundinis Lipſienſibus noſtri Mercurii Lipſiae convolant ad mercatum, apud Henricum Nerlingium divertitur Chriſtian Wolff, cujus frater germanus Michael Wolff civis eſt Reichenbacenſis, meus affinis, is cum fratre ſuo Chriſtiano cive noſtro continua agit commercia, per quem etiam extra nundinas tutiſſime poſſunt mitti literae. Monſtroſas vel raras quasdam plantas numero ſex in effigie trado, licet pictor mihi non omnino ſatisfecerit, praeſertim in uva quae copioſisſimis acinis conſpicua eſſe deberet, & qvod primae ejus alae, noſtris vernacula lingva Oehrlein (auriculae) dictae, reſpectu reliqvarum viti adjunctarum uvarum quantitatem debitam fere excedant, coronidis loco, e Neptuni pecudibus cancrum tridentiferum adjeci. Tu pro Humanitate Tua omnia aeqvi bonique conſules. Vale.

Alterum P. S.

UNo eodemque tempore legibus no-

 ſtris

ſtris tecum ſubſcripſit Dn. L. Jeremias Rhetius Practicus Arnſtattenſis celeberrimus ab Achille noſtro Dn. D. Petri Phyſ.Erf. nobis commendatus, quem ea de cauſa Caſtoris nomine ſalutavimus:

Vivite Tyndaridae!

Pro felicitanda Argus noſtrae navigatione ex leg. 12. plures remiges adducere ne gravare. Ex Phaetonte noſtro plura & fortaſſe meliora. Iterum iterumque Vale.

In Tractatum de Plantis monſtroſis.

Omnibus in rebus Natura omniſcia ludit,
Et vario paſcit ſchemate ſenſa animi;
Colludit GARMANN, & ludere doctior ejus
Eludit mire-ludificantis opus.
Ludere qui neſcit, laudabile NUMEN adoret;
Solus enim DEUS eſt, qui mera mira patrat.

Qvem hiſce collaudare voluit, debuit
Joh. Michael Fehr,
Philoſ. & Med. D. Phyſ.
Svinf. Ord. S. R. I.
Acad. Nat. Cur. Præſ. &
Argonauta.

POLLUCI εὐφημίαν!

In

In Tractatum de Miraculis Mortuorum.

[Mmortalis erat POLLUX, ſed CA-
STORIS ergo
Induit humanae conditionis onus:
Tute immortalis divina mente manu-
que,
GARMANN, hoc tanto munere
quosque beas.
Filius Aurorae rorans argentea grana
Marcida vivifico Nectare prata rigat;
Naturae Genius GARMANN vitalia
fundit
Balſama in exanimes: Qvis queat
ergo mori?

Αυτοχεδιαςὶ
Johannes Michael Fehr.

vinf. 24. Decembr.
1668.

EPISTOLA XXXVII.
DE CHIRURGIA INFUSORIA.

D. Joh. Danieli Majori
L. C. F. Garmann
HEMNITIO KILONIUM.
S. O.

REdeundum tandem ad officium,

 ſegniti-

ſegnitiesque rebus compoſitis ſcriptione expianda. Annus eſt & quod excurrit, ex quo ultimas, cum adjuncto diſcurſu meo de Gemellis & partu numeroſiore Tibi inſcripto, Faſchiique de Cauſo diſſertatione, transmiſi, nec ab eo tempore reſponſionem deſideratam obtinui, ut an iſtas acceperis nec ne certo pronunciare non auſim. Hac de cauſa non tantum calamum arripere volui, ſed & debui, ut grates Tibi agerem devotas pro inſigni Tuo favore & honore, quo in nova Tua infuſoria nuper meam tenuitatem beaſti. Laciniam meam aſſuiſti ſummorum Virorum purpurae, measque nugas aliquid eſſe orbi eruditorum perſvadere voluiſti. Quid iſta encomia, Vir ſupra laudem poſite, qvibus me obruis? Humanitas Tua fecit, ut ita nomini meo blandireres, & plauſibilem hunc errares errorem. Vitrum cum pretioſis aliqvando certare videtur, ſed dum ſplendet, frangitur. Idem contingeret meis ineptiis vitreis, niſi a nominis Tui ſplendore ſumerent lucem & perpetuitatem, haud aliter ut mallea-
bili-

ilitatem a manu artificis vitrum. In-
erim mihi gaudeo, Tibi gratulor, quod
ua Infuſoria jam magis magisque ex-
olitur, ut de ejus ſucceſſu amplius du-
itare a ſana mente non poſſit. Quid
aleat, Clyſmaticae *Elsholzii* appendix
eclarat, & in Diſſertatione publica Li-
ſiae nuper habita *Dn. D. Mich. Etmul-
r*, amicus meus, pluribus demonſtrat.
go etiam hac hyeme experimenta
nea colligam, novisque exinde dedu-
tis concluſionibus illuſtrabo, ſique Ti-
i ita videbitur, luci ſiſtam publicae.
entaſſem hactenus eandem in aliqvot
orbutica labe confectis, ſed qui ad-
nitteret hanc operationem, non inve-
i. Haec dum ita geruntur, miror
vosdam, e doctis etiam, eandem non
pprobare, & transfuſoriae nihil fere
ibuere, ut eo etiam inclinat *Dn. D.
rid. Hofmann* Medicus Hallenſis in
Methodo Medendi, cujus rationibus
ropediem ſatisfaciam. Cur injectio-
em medicamentorum vomitus inſe-
vatur, non ſine cauſa quaerit Clariſſ.
lsholzius. Ego partim cauſam in ven-
riculi tonum enormiter a morbo lae-

L 3 ſum

ſum rejicio, partim in pravos humores in ejus cavitate ſtagnantes. Praecaveri igitur poterit praemiſſo leni purgante ſymptoma illud moleſtisſimum. Medicamenti qvalitas purgans huc etiam facit, ab alterantibus enim in venam immiſſis nec nauſea, nec vomitus, ſi a cruditatibus liber exiſtat ventriculus. Concludendum exinde, cauſam vomitus non ſemper in ipſo ventriculo latere, ſed etiam in venis, quod in febribus ad oculum patet, ut male idcirco ſemper nauſeam & vomitum vomitu curandum exiſtiment. Quando vero e ſpelunca ſua prodibit toties a doctis deſideratus Baumannus?

Noctem age disrumpat, ſuperasque erumpat in auras.

Epigramma leve huic deſtinatum ſereno vultu accipe. Plantam Tuam monſtroſam Sculptori jam tradendam, proxima occaſione remittam. Vale interim, novumque hunc annum & plures ſeqventes, ſanus & ex omni parte beatus tranſige, Vir celeberrime, Collega exoptatiſſime.

Chemnitii, Calend. Jan. 1669.

In

In Baumannum Exc. Dn. D. Majoris.

HEſpere, cur radiis ſaevis in viſcera Terrae?
Heſpere, cur Major Sole micante micas?
Scilicet illa Tuae mentis ſolertia Phœbum
Provocat, exſuperat noctivagamque Deam.
De cœlo lucem mortalibus ille Prometheus
Quod tulit, eſt magnae ſedulitatis opus.
Qvod vero illuſtras Baumanni viſcera, MAJOR,
Majoris ſane eſt utilitatis opus.

EPISTOLA XXXVIII.
DE MIRACULIS MORTUORUM ET PLANTIS MONSTROSIS.

D. Philippus Jacobus Sachſius a Lewenheim
L. C. F. Garmanno

URATISLAVIA CHEMNICIUM.

Sal. & novi Anni auſpicium.

ÆDepol! Pollucis nomen, & novi

 Collegae

Collegae perquam jucunde ſuſurravit meis in auribus, quare E. T. gratulor de felici acceſſu, & ut in incrementum Collegii quam diutiſſime vigeat, omnes unanimiter apprecamur. Quae de Collegii Legibus emendandis ſubjecit, ea gratiſſima fuere, communicato cum reliqvis Dnn. Collegis conſilio, quid pro incremento Collegii ſtabiliendum ſit, allaborabimus. Interim qui de Gemellis tam bene diſſeruiſti, Gemellis Tuis partubus & de Monſtroſis Plantis, & de Miraculis mortuorum τὸ εὖ acclamare volui binis Epigrammatibus hac occaſione transmiſſis. Vena poetica jam fere exaruit, mentem itaque potius candidam aeſtimes, quam verſuum pondus. Lubentisſime quaedam addidiſſem de Miraculis Mortuorum; ſed quid ego Tuae purpurae laciniam adderem? Sane curioſisſimus nihil praetermittet, quae pro tam inſigni materia erunt exornanda. Olim *Kornmannus* Miracula Mortuorum edidit, ſed plurima addidit ſupervacanea. A Te ex lapidum ſepulchralium monumentis nil ſperamus niſi ponderoſa eruta.

Et

Et quae non monſtrant ſectiones mortuorum cadaverum miracula Inde Senis in Gallia fœtus lapidefacti praeterito ſeculo, inde fœtus Musſipontanus lapidefactus noſtro aevo inventus, de qvibus praeter alios ſermonem feci in *de Lapid. mirand natura. p. 86. & ſeq.* Renem petrefactum in cadavere inventum, qvem propriis manibus palpavi, notavi in *Gammarol p. 901.* Cor piloſum enumeravi in *Ocean. Macro-Microcoſm p. 32.* & quis omnes poſſet enarrare caſus, in ſectionibus eventus, quorum amplam meſſem Tua exhibebit Diſſertatio: addi etiam poſſent praecipue de cruentatione cadaverum obſervationes, ni anguſtia temporis calamum avocaret. Qvid loquar de floribus monſtroſis? Vitem barbatam enumeravi in *Ampelograph. p. 55.* quanquam quomodo ea produci arte poſſit, e *Borell. in Append. p. 17.* addidi. De vitibus aureis *Ampelogr. p. 41. & Append. p. 16.* De arbore ex homine progerminante Hiſpano, *Gammarol. p. 190.* Verba fecit de Planta monſtroſa Gottorpienſi *Dn. D. Major*, de aliis *D. Jonſton. in Thaumatographia.* De arbore

bore ſerpentifera *Kircher. de Magn. p. 5. l. 3. c. 1. p. 623.* De Boramez ſ. Agno Scythico, *Idem p. 638.* de Arboribus anatiferis Scotiae, *Idem*, & quae de iis notavi in *Gammar. p. 189. & ſeq. in Ampelogr. p. 17.* Sed quid ego Noctuas Athenas porto. Ex monſtroſis floribus Roſa triplex in uno ſtipite quam Altenburgi prognatam ante aliquot annos aere incidere curavit Collega noſter ſvavisſimus Zephyrus *D. Urſinus* Botanicus Lipſienſis. Nunc pari candore Roſam mitto Svinfurti prognatam, a Dn. Praeſide noſtro communicatam, quae ubi notata, perlecta & perſpecta fuerit, ut Muſeum meum repetat transmiſſum exemplar, enixe oro. Plura adderem, ſed cum ſcopus E. T. Scriptorum ex praefixo Titulo non ſatis posſit aſſeqvi, meliorem informationem & delineationem tractandorum prius expecto. Si itaque occaſio fuerit, ante editionem opuſculorum, plura de hac materia communicandi, ſignificet, paratiſſimus ero in hoc officiorum genere obſequia exhibere. Vale interim, Vir Excell. & fave.

Uratislaviæ, Ipſ. Cal. Jan, 1669.

Florea

In Tractatum de Plantis monſtroſis.

BArbara Pyramidum jactet miracula Memphis,
Hic majora dabit pagina docta Tibi.
En *portentoſas* alio ſub Sole calentes
Stirpes GARMANNI Daedala charta refert.
Quicquid in auguſto Cybele mammoſa theatro
Poſſidet, anguſto limine ſcripta tegunt:
Vel quae Flora ſuo depromit divite cornu,
Haec *sine labe* notat *monſtra* ſecante manu.
Nauſeat Alcinous ſua prata, nec aurea poma
Heſperidum melius carpſit avara manus.
En *novus Alcides* POLLUX GARMANNUS, amœna
Florum monſtra ſua dexteritate capit.
Hoſce theatrales ludos, *Floralia* quis non
Portentoſa vehat laudibus usq; polum?
Poſt inter Flores GARMANNI fama virebit,
Florea quot redeunt ſecula vere novo.

In

In Tractatum de Miraculis Mortuorum.

QVae nova de nigris ſcintillat Flamma ſepulchris,
Buſtorumque antris vult reſerare diem?
Aedepol haut Nautis POLLUCIS Numen amicum
Gratius illuxit dum fugit ira maris:
Lampade ceu NOSTER POLLUX illuminat orbem,
Abdita dum LETHI, QVÆ TEGIT URNA, refert.
Felix qui potuit tantas cognoſcere cauſas;
Tramite in obſcuro qui bene calcat iter!
Æmula * PERPETUÆ GARMANNI eſt FAMA LUCERNÆ,
Quam perſaepe dedit crypta patente ſinu;
Quam

* Alluſio ad Lucernas ſubterraneas, plurimos annos in ſepulchris ardentes, qualis Tulliolae M. T. Ciceron. filiae ultra 1500. ardente in via Appia Paul. III. Pontif. inventa, aliisque Fortunius Licetus in de Recondit. Antiq. Lucernis l. 1. cap. 2. & ſeq.

Quam non Tempus edax ſuperavit, & aura ſepulchro
Intercluſa, diem fovit & in tenebris.
Sic Tua charta ſenex ſuperabit Marmora Buſti,
CANDOREM Famae NIGRA favilla dabit;
Qvaeque aliis MORTEM, VITAM TIBI ferre ſepulchra
Auguror, En famae Gloria ſumma LAPIS.

Philippus Jacobus Sachſius a Levvenheim.

EPISTOLA XXXIX.

DE CLAMORE SANGVINIS ABELIS. DE TRUCIDATIONE ZACHARIÆ FILII BARACHIÆ. DE SANGVINE E LATERE CHRISTI. DE SANGVINEO AD MONTEM OLIVETI SUDORE. SANGVIS EJUS SUPER NOS JUDÆORUM CLAMOR. CADAVERUM CRUENTATIO.

M. Gottfrid Reiche
L. C. F. Garmanno
ZVEMA *CHEMNITIUM.*
S. D. P.

FEliciter proxime novi Anni auſpicio,

cio, divina quod dicitur virgula, facto, hujus & ſeqventium exoptatum & ab adverſitatum procellis immunem ex animo Tibi Tuaeque apprecor ingreſſum, progreſſum & egreſſum! Quam ardentiſſimo hactenus flagrarim deſiderio, brevibus modo literis Te, ô Amicorum Phoſphore! compellarem, exprimere vix queo, nondum promiſſi & debiti mei immemor. Ab altera quippe parte dolor, quem lugendus Socrus tuae obitus, adeoque fati proh! uxorii mihi tui moleſtia pepererat, citius aperiendus; ab altera quoque tenue ad doctisſima ante ſemeſtre anni ſpatium, jucunditate neſcio, utrum utilitate magis inſigniori referta problemata, ἐπιβάλλον μέρος adjiciendum fuiſſet: Verum qui durioribus expoſito fatis pro neceſſitudine noſtra ſatisfacerem, metuendo, dum ſolamine Amicisſimum meum Garmannum erigere conarer, mœroris potius cauſa exiſterem, admodum me ceſpitaſſe fateor. DEUS, cujus ſapientiſſimo Providentiae moderamine humana omnia diriguntur, quae mala Tibi videntur, in bonam

bonam propter Chriſtum Mediatorem
noſtrum clementiſſime convertat par-
tem. & a Familia Tua triſtia quaeque
a nunc longiſſime abeſſe jubeat! Re-
deo demum ad id, quod alta reſidet in
mente, & mihi invito publicis hucus-
que ac domeſticis (qualia qualia etiam
fuerint) occupato negotiis, efficere non
licuit. Scilicet mira literarum tuarum
ſvavitate me perfuſum, ad amicam in-
ſuper de mortuis,& quae huc quadrant
elegantisſimis συμφιλολογίαν invitans,
utra mihi in ſequentibus erotemaſi ar-
rideret ſententia & ἐπίκρισις, ſcire ama-
ſti. Ut ut vero ad ſingula diductius,
uti libenter voluiſſem, ita facile potu-
iſſem, reſpondere: prolixior tamen eſſe
minus ratus fui, ſiquidem Autorum a
me citandorum, eorumque ſententi-
arum Tibi copiam fore, nullus dubito.
Quare brevisſime, & ad primum qui-
dem haec dico ζήτημα:

I. Qualis fuit ille clamor ſangvinis
Abelis cœlum penetrans? *Gen.* IV, *v.* 10.
1. *Silberſchlagii*, quam profert, ſenten-
tia, cum aegre probabilis, textusque
non tam κατὰ πόδα καὶ λέξιν, quam διάνοι-

αν

αν & *τροπολογικῶς* conſiderandus ſit, vide-
ſis, quid dicant *Starkius in Concion. ſu-
per Geneſin in h. l. Aug. Varenius Com-
mentar. in h. l. Feſſelius adverſ. p. m. 365.*
Ravanell. Bibl. S. in vocula Sangvis (*pro
caede*) *p 2 n. 2. d 4. in dictione clamare p.
m. 471. &c.*

II. An verum, quod locus ille, in
quo Zacharias filius Barachiae truci-
datus fuit, perpetuo ſangvinis undam
evomuerit, usque dum expiaretur a
Nebuſar Adan? Reſp. cum non ſit ar-
ticulus fidei, varieque alludi poſſit haec
ipſa opinio, non levis momenti eſt, ut-
pote confirmat praeter alias a ſe addu-
ctas *Bakius expoſ. Evang. in 2. Fer. Nat.
Chriſti S. Stephani Feſto*, ubi ſalivam
movebit Lectori jucundisſima lectio.

(a) Obiter inſpergi poſſit, ritus
ille Antiqvus, qui *Gen. XLVI, 4.* legitur,
hodieque num reperiatur quoque, quod
mortuis claudantur aut manu depri-
mantur oculi, *Urſinus* reſpondet *Anal.
S. p. 1. l. 1. c. 27.*

III. Qvaerit Exc. Tua, an a mor-
te Chriſti naturaliter ſanguis ex aper-
to latere profluxerit? Reſp. verba
Evange-

Evangeliſtae tam accurate & diſtincte nos ſangvinis & Aquae prorumpentis rivulos deſcribentis, praeternaturaliter factum, & accipiendum eſſe, contra nonnullos Calvin. defendit *Raupp.* negando quaeſtionem in *Commentar. ad Joh. 19. 34. Confer Franciſc. Collium Tract. de Sangvine Chriſti Leonhard. Matth. de Sangvine Chriſti in triduo mortis, utrumque pontificium.* Apud noſtrates ventilavit *Andr. Prücknerus vindic. in p. l. D. Meiſner. Diſp. de Sangvine Chriſti anno 62. habita*, §. 21. & 22. Ex hac quaeſtione propullulant hae:

(b) An dextrum, an ſiniſtrum Chriſti latus perfoſſum? & inde: an ſub mamilla ſiniſtri lateris perforatus Sanctus Benedictus ille? *Vide M. Scharff. in meletem. de ritu crucifix. Chriſti Romano, anno 66. edito.*

(c) Derivatur amplius exinde ſeqvens eperotima: an ſangvis ille ex corpore Chriſti mortuo (non autem cadavere, quippe cum illud omnis corruptionis expers & ἄφθαρτον fuit) profluens, meritorius fuit? *Toſtatus* reſpondet negando, *Franc. Collius* vero

mitior eſt. Vide quid *Lorinus* dicat
ad 1. *Joh*. 1. 7. *Gvilielmus, Eſtius & alii*;
(d) An ſangvis ad montem Oliveti & in ara crucis effuſus computruerit ? litigant ea de quaeſtione Dominicani & Franciſcani acerrime. Vide quid circa Annum 1463. ſub Papa Romano Pio II. acciderit ap. *Ehingerum Hiſt. Eccl.* Nos Dominicanorum ſuffragamur ſententiae negativae ex *Pſ. 16,10.*

(e) Neque nauſeam Tibi parere credo, illud, quod inter Philologos diſqviritur : An ſangvis Chriſti ad montem Olivarum in horto emiſſus naturalis, et naturaliter factus fuerit ? ad haec reſpondet *Dannhauer. Chriſtoſoph. p.* 224. Item: an, cum ſudor ipſe, tum & ejus excretio & fluxus e corpore Chriſti, opera fuerint ſolius Naturae, neque concurrerit modo quodam ſpeciali cauſa ſublimior & potentior alia, ut propterea ad hanc potius, quam ad illam referri debeat ? Exponit *Dn. Poſner. in Diſp. de Sudore Chriſti ſangvin. Ienae anno 61. a Büttnero habita.* Confer *Ravanell. Bibl. S. Grumus & Sangvis n. 1. d.* 12.

(f) Tan-

(f) Tandem qvoqve delector ſpe-
culatione verborum Plebis Judaicae
Matth. 27, 25. propalatorum : Sangvis
ejus ſuper nos & filios noſtros ! an hiſ-
ce fœtor & ſubflavus vultuum hujus
modernae gentis (recutitorum) color,
loco notae infamis, prout Caino con-
tigit *Gen.* 4, 15. imputandus, & pro cer-
to id, quod narratur, credendum ſit? Au-
tor des Berichts von dem Jüden Ahaſ-
vero (ni fallor apud *Rivetum* Belgam,
& *Cocum* Anglum quaedam extant, quae
ibi legerim) nonnulla ſcribit. Vid. *Ra-
vanell. Bibl. S. Sangvis. n.* 2. *p. m.* 970.
Putant aliqvi, ideo Judaeos rapere
Chriſtianorum pueros, an non vero
ſangvinolentae malitiae horum ne-
qvam magis imputandum, jam in me-
dio relinqvo, ſuſpendit ſuum judicium
*Johann. Heinric. Hottinger. Theſ. Philol.
l. c. 1. de Relig. Sect. 7. de Chriſtianis. p.*
53. *&* 54.

Ut IVtum Problema Ampl. Tuae
repetam, qvid de mirabilibus cadave-
rum humanorum ſymptomoſi ſtatuen-
dum, v. g. de fluxu ſangvineo corporis
occiſi ad praeſentiam occiſoris? Reſp.

Cum rationum naturalium & exemplorum ſacrorum pondere deſtituamur, nil facile aſſerendum, magis tamen pro ſigno fallaci habendum eſſe, diſputant id JCti & Caſuiſtae Theologi. Vid. ſimul *M. Pfauz. Diſp. hac de quaeſtione ex profeſſo Lipſ. anno 64. D. Andr. Rivin. quaeſt. Philol. & Philoſ. de pollinctura ſeu Balſamiſatione, Lipſ. anno 55.* Atque haec paucula, minus quidem erudita, eo magis vero trita, unico die excerpere, Tibique reſcribere volui. Si qvid parum acute, nec doctorum more ſcriptum reperias, non mihi, ſed moleſtisſimo rei domeſticae meae turbini, proh! a ſolertiori inveſtigatione me avocantis & perturbantis, imputes, rogo. Brevi poſthac reſponſum, & aliud qvippiam gratum ab Ampl. T. uti expecto, ita opto, hoc Coronidis loco per amicitiam noſtram etiam atque etiam precando, ut Reichii tui, cujus ſpes in Patria ex fato Martisburgenſium infauſto, neſcio qvibus non poſtpoſitorum jam plane ſuccubuit, (quod Tibi probe notandum erit) apud Chemnicenſium tuorum Anteſignanos & Clavigeros mentionem facias. Divinae interea Providentiae confiſus

confiſus, me non confuſurum iri firmiſſime credo. Diutiſſime proinde vale, & ſis benedictus in aeternum. Zvemae, d. 14. Jan. 1669.

EPISTOLA XL.
DE CARDUO SANCTO, ET COLLEGIO CURIOSO.

D. Georgius Chriſtophorus Petri L. C. F. Garmanno

ERFURTO CHEMNITIUM.

S. P.

Literas Tuae Exc. exacti anni menſis Octobris die 25. exaratas, maximum affectum in me ignotum immeritumque ſpirantes, accepi juſto ſerius, 18. nempe Januar. anni currentis, qui ut Tibi Tuisque feliciter fluat, ex animo precor: earum lator fuit Dn. Chriſtianus a Saher, Bibliopola Erfurtenſis, qui illas forte in nundinis Lipſienſibus a Domino Kirchnero acceperat. Optaſſem illas habuiſſe, anteqvam Carduus noſter prelo committeretur, non exiguum enim ſplendorem illi attuliſſet E. T. obſervatio de uno folio non

 ſpinoſo,

ſpinoſo, qvod mihi, qvantum memini, nunquam obſervare licuit. Carduum benedictum prorſus ſine ſpinis naſciturum promittit *Hieron. Cardanus*, ſi ſeminibus, antequam terrae committantur, evellatur pappus ille barbatus, de qvo experientia conſuli poteſt: addit etiam rationem, cur hoc fiat, dum inqvit: ex pappo illo partes magis terreſtres & ſicciores, quales ſunt ſpinae, generari. Signatura Cardui benedicti ipſo Naturae naturantis inſcripta digito, non omnino videtur negligi poſſe: omnibus illum univerſaliter puncturis, non pleurae ſolum, mederi, demonſtrat jam ſub prelo ſudans noſter Tractatus, ad qvem propediem lucem viſurum Ex. Tuam remitto, licet tanti vix aeſtimem laborem hunc, ut coram oculis Viri docti ſine verecundia comparere poſſit. Natus enim eſt hic fœtus inter varias interpellantium aegrotorum turbas, diutius a me lambendus terſiusqve exaſciandus, niſi tardanti & multa addituro obſtitiſſet Praeſidis noſtri authoritas, qui ut graſſantibus hoc tempore febribus mali moris, Carduum

um benedictum ederem, per literas
non ſemel a me efflagitavit. Si non o-
mnibus ex aſſe ſatisfaciet hic labor, nul-
lus iraſci poſſum, qui ingenue profite-
or, mihi ipſi in multis hanc opellam di-
ſplicere, utpote cui plurima addi deni-
que potuiſſent. Qvicquid ſit: jacta
nunc eſt alea. Ignoſcat Orbis erudi-
tus Carduo noſtro, ſubruſticis quidem
ſpinis armato, ſed inermiori, quam de-
cebat, in arenam deſcendenti, veniamq;
deprecanti. Circa unum ſimplex ve-
getabile prolixo occupari ſtylo, vix ju-
cundus & tantum non ſterilis labor eſt,
illi praeſertim, cui varia & minus ad
rem pertinentia heterogenea admiſce-
re inconſultum videtur. Occupatus
ſum inpraeſentiarum cum Argonauta
& Phoſphoro circa quaedam Privilegia,
Collegio noſtro in Aula Caeſaris exo-
randa, in quo negotio Elector noſter
Clementiſſimus, quem hoc nomine hu-
millime compellavi, ſuum conferre
poteſt ἐπιβάλλον μέρος: nec dubito, voti
nos compotes futuros, modo ſat certo
inter nos conveniret, qualia privilegia
ſint petenda. Forte gaudebit inpoſte-

rum Collegium noſtrum ſplendido Academiae Curioſorum S. R. I. titulo, quae Praeſidis & Phoſphori mens eſt. Sed quid titulus ſine vitulo? Immunitates & praerogativas plures ſi pro ſudoribus noſtris nobis concederet Aqvila Romana, melius nobiscum ageretur: ſic futurum eſſet, ut ad majora excitaremur. Sed habet etiam in re tenui magnus animus, ubi ſe explicet, ſtadiumque ſuum ſtrenue decurrat. Pro adjecto carmine, praeſertim elegantisſimo illo ad Zoilum Epigrammate, ſum gratisſimus, affectum inde metior multis opibus mihi potiorem: quia autem juſto ſerius mihi miſſum eſt, velim ignoſcas pro T. Humanitate, ſi forte non fuerit debito poſitum loco: nudius tertius miſi illud Typographo Jenenſi, Johanni Niſio, eundemque monui, ut operam det, quo reliqvis adjungi posſit: ſin ſecus, in calce Tractatus ante appendicem illud imprimat, cum hac inſcriptione: (Serius miſſum.) T. Exc. omnia aeqvi boniqve conſulet. Addidi vicisſim ſtridenti ſtipula miſere diſperditum Scazontem, illum quidem loripedem,
ſed

ſed monſtris eo magis accommodatum. Nullus dubito Exc. Tuam Catalogo monſtroſarum Plantarum etiam inſeruiſſe roſam proliferam abhinc decennio, & quod excurrit, Altenburgi enatam, ex qua majori duas alias minores progerminantes oſtendit aeneus typus Lipſiae excuſus. Datur etiam Piſum proliferum: ut & herba paralyſis & anemone prolifera. &c. Qvid de Anſeribus, anatibus in Scotia e putridis lignis naſcentibus, ut & qvibusdam Ægypti muribus eodem modo orientibus, ut & ovibus vegetabilibus ſentias, procul dubio enucleat eruditus Tuus tractatus, qvem videre brevi deſidero. His vale quam optime, & me amare perge. Dab. ὡς τάχιστα e Muſeo Erfordiae, prid. Cal. Febr. 1669.

In Tractatum de Miraculis Mortuorum & Plantis monſtroſis.

MIretur aetas priſca Doricum Alcidem
Ammone dignum Patre pupulum in cunis,
Adultiorem tot nefanda monſtrorum
Forti domantem ſecla dextera: parta

Qvem tot trophaea provehunt ad excelſam
Honoris aedem: Nos ſtupemus invictum
Sudoribus multis & arte GARMANNUM,
Conatibus Virum per ora praeclaris
Longe volantem: namque monſtra Plantarum
Et mortuorum monſtrat illa miracla
Orbi erudito Nominis perennante
Cum gloria: Fors alter audit Alcides?
Ita eſt: & arduam ſibi parat laudem,
Clavaque Momum tundit usque monſtroſum.

Georg. Chriſtoph. Petri.
Erford. prid. Cal. Febr. 1669. D. Med. N. C. Achilles.

EPISTOLA XLI.

OBSERVATIONES DE SCORBUTO ET ARTHRITIDE VAGA SCORBUTICA.

D. Valentino Andreæ Mollenbroccio
L. C. F. Garmann
CHEMNITIO *HAL. SAXON.*
S. P.

EN tandem meas de Scorbuto & Arthritide

hritide vaga Scorbutica obſervationes. Tenues ſunt tales, ab amico tamen profectae pectore. Annotavi easdem & e ſchedulis meis collegi, non ut Tuo expolito & erudito operi aliqvid accederet, ſed ſaltem ut Tuae obſecundarem voluntati & petitioni, literisque tuis affectum & eruditionem affatim ſpirantibus, aliquid reponerem licet minus eruditum. Odam addidi non a Pegaſeo liqvore inebriatus, ſed a Tua, Immortalis Pegaſe, Humanitate invitatus, utpote cui grave non fuerit, meo de miraculis mortuorum opuſculo elegantiſſimum praefigere Epigramma. Propediem, ſi Bibliopola non obſtiterit, lucem videbit & diem. Jam ultimam illum ſubiit limam, Kornmannum qui de eodem argumento librum edidit, deſidero, iſte neſcio qvo fato, ſupellectili meae literariae Martisburgo nuper huc traducto ſe ſubduxit. Hujus eo magis doleo jacturam, quia neque in Lipſienſium nec Freibergenſium reperitur Bibliothecis, in veſtra vero eundem, una cum tractatu de vivorum miraculis ejusdem, latitare, nullum eſt dubium.

bium. Hunc igitur ſi procurante T
V. E. ad paucorum dierum uſuram con-
ſeqvi poſſem, magnum illud Tui in me
affectus reputarem documentum. In
aliis viciſſim V. E. mandato aſſurgere
& gratificari promtitudinem declarabo
nunquam non ſolertem. Interea ut
promiſſum Tractatum de Anthritide
vaga Scorbutica maturet, vel ipſa ſalus
totque aegrotorum ſuſpiria flagitare
videntur. Inundavit hoc ſcelus totum
fere orbem, quis dubitabit, qvin hoc
modo totum orbem Tibi devincias.
Vale interim, mihique favere perge.

Obſervatio I. *ad praeloq. n. 1.*

NOn temere illa nomina, Schormund,
Schorbuch & Schorbein ficta eſſe &
facta arbitror. Differunt enim (α) lo-
co affecto ſeu ſubjecto. (β) Signis &
accidentibus. (γ) modo curandi. Scor-
buto oris hic ante tres menſes labo-
rabat Civis quidam Martinus Freiber-
ger, hic non tantum cruentas, ſed &
per integrum menſem adeo tumidas
in maxilla dextra obtinebat gingivas, ut
de ſolidis nihil, de liquidis pauca diffi-
cillime (os enim aperire non poterat)
ingere-

ngereret. Nihil externa, interna ve-
o via regia a malo obſeſſa non admit-
ebat. Nec apertioni a Chirurgo faci-
ndae ob oris aperturam denegatam,
ocus. Rupto tandem tumore, humor
corbuticus,cum eum expuere non poſ-
et, cumprimis noctu, ad pulmones de-
cendens, easdem exulcerabat. Extra-
it tandem magnas maxillae dextrae
articulas nigricantes & corruptas,Chi-
urgus. Se totam maxillam ſucceſſive
ali aegro extraxiſſe , alius referebat.
Obiit tandem doloribus capitis, & ma-
illae, ut & pulmonum labe miſere ex-
ruciatus. Schorbuch, mirum in mo-
lum meos exercet Chemnicenſes. Al-
i his eſt durities, obſcurus & urens in
meſenterio dolor, ut & circa medul-
am ſpinalem usque ad Diaphragmatis
regionem,a cibo aſſumto pejus habent,
potu,cumprimis cereviſia noſtra Che-
mnicenſi, peſſime. Mucilago fauces &
ingvam nauſeabundi ſaporis obſidet,
nde omnem cibum cumprimis car-
nem abominantur & nauſeant. Urina
rubicunda, ut in febre ardente, quod
etiam notavit *Williſ. de Urin. c.* 4. *p.* 352.
ſedi-

ſedimentum arena ad rubrum vergen-te conſpicuum. Sabulum illud ab ar-teriis meſaraicis ad renes transportar non ſine cauſa credidit *Mœbius fund. med. Phyſ. c. 11. p. 208.* qvod dum fit, dolores meſenterii inſignes ſentiunt, cordisqve anxietatem. Hypochondriacum diceres malum, ſed anti-hypochondriacis non cedit, qvamvis obſtructiones in his Scorbuto nidum ſtruant & focum, & niſi Scorbuto curam opponas, fruſtra laboratur. Vocant noſtri, das innere Freſel/das hitzige Freſel. Haereditario jure facile in Infantes tranſit, eosque vix natos trucidat. Schorbein, ut vocatur *Petræo Noſolog. part. 2. diſp. 38. th. 3.* ob nervoſarum partium in cruribus laeſionem, vocari poſſent illi pedum tumores noctu praecedentes cruciatus. Aliquando eosdem Arthritidis eſſe prodromos, praxis monſtrat. Haec tria monſtra concurrunt.

Obſerv. II. *ad n. 2. & 5.*

SEptentrionalibus, tanqvam morbus Endemius, cognitus fuit Scorbutus, ut patet ex *Olao l. 9. hiſt. Septent. c. 38.* cumprimis *l. 16. c. 51.* Graecis vero neuti-

qvam

quam. Σπλῆνες Hippocrati Scorbuti accidentia, ſed generaliora, ſpleneticis etiam familiaria tantum notant. Qvae in Scorbuto conjuncta, disjunxit divinus Senex, imo laborare quis Scorbuto poteſt, etiam his ſignis non apparentibus. Docet id cura magni Lienis ab *Hippocrat. ſ. 5. l. de intern. aff. p. m.* 575. minime Scorbuto accommodata. Inde autumnalibus morbis σπλῆνες accenſentur, *l. 3. aph. 22.* quartanae enim & aliarum febrium ſunt producta vulgo Fieber-Kuchen. Obſervavi ante biennium hoc malum in pluribus Ileburgi, cumprimis in duabus Virginibus nobilibus, quarum una qvartana, altera qvotidiana epidemica tenebatur. Plura *Wierus in Obſ. morb. nov.* Poterit huic addi Tulpius *l. 2. Obſ. med. c. 30. p.* 152. De cauſis magnorum Lienum *Th. Bartholin. Cent.* .. *Epiſt. 14. p.* 53. Lienem natura & morbo magnum, praeter alia notabilia ante aliquot ſeptimanas deprehendi in cane, ſubito extincto, a me diſſecto. Difficulter dum vivebat, ſpirabat, & inſtar melancholici ſomnolentus incedebat. Lienem e ſiniſtro ad dextrum latus porrectum

rectum inveni, tumidum, & in ſiniſtr
duas enormes ſciſſuras paſſum, ind
ſangvinis nigricantis copia inſignis in
abdomine ſtagnabat. Pondus Lienis
tres cum dimidia excedebat libras. Gin-
givarum & crurum exulcerationi ſan-
gvis ut vocatur melancholicus eo tra-
ductus, ortum dare poterit. Idem de
convolvulo ſangvineo ſeu Ileo Haema-
tite pronuncio, & mecum *Dodonaeus*
Obſ. med. c. 33.

Obſ. III. *ad n.* 5.

SUnt, qui μέλανος ἄλφϰ nomen Scor-
buto Galenum dediſſe aſſerunt, 3. *de*
Sympt. cauſ. c. 2. contrarium tamen da-
bit textus. Eundem etiam inter magnos
Lienes retuliſſe *in S.* 3. *aph. comm.* 22. *Al-*
bertus de ſcorbuto th. 188 prodidit, ſed in
obſ. 2. refutatum.

Obſ. IV.

QUae de fonte Aquae dulcis apud *Pli-*
nium leguntur, *l.* 25. *c.* 3. dentium ca-
ſum & crurum imbecillitatem inferen-
te, huc non ſpectant. Potuit in hoc ar-
genti vivi vena latitare, quae dentium
caſum & artuum debilitatem induxit.

Tales

Tales fontes dari demonſtrat *Agricola l. 2. de his quae effluunt, p. m. 542.*

Obſ. V. *adn. 7.*

CEnturionis famulum Scorbuto laboraſſe non facile dicerem. Textus expreſſe Paralyticum vocat. Rationi a dolorum praeſentia deſumtae reſpondet *Th. Barthol. tr. de Paralyt. N. T. p. 28. & ſeq.* Nec in omni Paralyſi Scorbutica dolores adſunt, illam vero ſaepe antecedunt. *Vid. Drabiz. Tit. 3. p. 144.*

Obſ. VI. *adn. 9.*

QUo tempore noſtras invaſerit oras, non ita patet. Annum 1486. allegat *Cyriac. Spangenberg. Chron. Saxon. c. 343.* Annum ſequentem *Andreas Mollerus Annal. Freiberg. p. 126.* Hic de Miſnia, ille de Saxonia. In oris maritimis eundem primo apparuiſſe anno 1556. vix mihi perſvadebit *Helmont. tr. Tumulus Peſtis. p. 848.* Ab eo tempore hujus contagium totum inundavit orbem. Chemnicenſes noſtros mire exercet hoc malum, & vix unus atqve alter morbus reperitur, qvi non praeſentis juxtim Scorbuti referat veſtigia.

Obſ. VII.

AN vero eundem, qvem in principio

 habuit,

habuit, adhuc ſervet typum, Proteo mutabilior Scorbutus, ut dubitem, facit illa de Scorbuto antecedentis Seculi narratio *Georgii Fabricii.* Ita enim ille *l.* 2. *Annal. Urb. Miſn. p.* 162. *ann.* 1486. graſſatus eſt novus & inauditus in his terris morbus, qvem nautae Saxonici vocant den Schorbock qui eſt inflammatio in membris partium carnoſarum, cui qvo celerius adhibetur medicina, eo citius malum reſtingvitur. Sin mora accedit paulo tardior, ſeqvitur membri affecti mortificatio, qvam ſiderationem noſtri, Graeci σφακελὸν dicunt, & continua quaeque a lue corripiuntur. Fuit idem morbus contagioſus multorum mortalium gravi periculo. Haec *Jlle.* Cur tales morbi jam non ut olim ſaeviant, *Lemnius l.* 2. *c.* 14. *p. m.* 288.

Obſ. VIII. *ad n.* 10.

DUm haec ſcribo, ad Lanionem hujus loci vocor, qvi triginta annos hujus mali ſenſit tyrannidem. Pro hypochondriaco a multis habitus & curatus, nullum ſenſit levamen. Hactenus Scorbuticis qvotidie a me praeſcriptis uſus, maculas cœruleas & nigricantes

cantes dorſum totum obtegentes, mihi monſtravit, jurares, dorſũ a fuſtigatione ſugillatum, in pedibus vero rubras, qvarum circumferentiam Joachimicus non caperet, in cruribus ejusdem coloris lenticulares maculas illas, qvas ſabulum urinae vaſculo Urinario affricare ſolet, exacte referentes.

Obſ. IX.

SAbulum in Urina non tantum rubrum, ſed & aliqvando citrinum, ſemel in Puella ſcabie Scorbutica tam deformi, ut lepram referre videretur, nigrum animadverti. An ſi non expurgetur, illae arenae ac cineres in ſangvine, de qvibus *Jeſſen. Judic. de ſangv. miſſione p. m. 24. & Bruno in not. ad h. l. p.* 205. non immerito qvaeritur.

Obſ. X.

CUm tota Pinus ſit Anti-ſcorbutica, qværi poteſt, añon pulvis iſte citrinus, qvem verno tempore Pinus fumat (ut pluviae mixta pluviam ſulphuream referat, *vid. Crügner.* im Chymiſchen Tannen-Baum/ terra lutea pluiſſe videatur, qvalem pluviam Chemnicii obſervavit *Agricola l. 5. de ort. ſubterr. p.* 552.) anti-

ſcorbuticis poſſit admiſceri, cumprimis quia pulvis iſte fulminans Lycopodii noſtris in uſu contra hoc malum, & quibusdam vocatur das Freſel-Pulver. Fribergae olim Foſſores metallicos aqvam e fimetis contra hoc malum hauſiſſe, e Manuſcripto *D. Daniel* Thor-Schmids annotat *Moellerus c. l.*

Obſ. XI. *ad c. 1. n. 6.*

NOſtris das lauffende Freſel/ ſi frigore membra concutiuntur & tentantur, das kalte Freſel.

Obſ. XII. *ad c. 3. n. 2. & 5.*

SAngvinem in hoc malo abſolvo, adeoque e *Willisio tr. de Scorbut.* illum vino pendulo comparare, religionem duco, lympham vero vel rorem microcoſmi Tecum verum cauſae morbificae vehiculum ſtatuo. An ſale volatili impraegnata ſit, haereo. Non opus erit ad volatilitatem confugere lymphae volubilitatem perpendenti. Dein erit ne ſal illud ſangvinis an lymphae? Lymphae non erit, quia haec pauco ſale gaudet, utpote inſipida, non ſangvinis, alias ille ſangvis non amplius eſſet ſangvis, ſed humor corruptus, & in ſua

prin-

principia reſolutus; quam tamen reſo-
lutionem in corpore vivente contingere poſſe, admodum dubito. Sordes ergo culinarum erunt, ut loqvitur *Helmontius*, a latice abraſae, partibusque nervoſis, his enim ut & reliquis partibus, *vid. Hieron. Barbat. de Sero ſangvinis*, latex nutrimentum dat easque humectat, communicatae. Colligitur iſta materia acido-Salina (aciditas enim hic penitus non excludenda) cumprimis in glandulis, & ab iis ad exteriores corporis partes amandatur.

Obſ. XIII.

Aciditas iſta in ſtomacho prima ſumit cunabula. Nuper pie defunctus eſt Conſul hujus loci, quem multos annos hoc malum afflixerat. Praeſente morbo appetitum proſtratum, ſitimque intolerabilem ob laticis defectum & ad exteriores partes motum ſentiebat. Vomitu continuo ſolicitabatur & materiam adeo fermentantem & acidam rejiciebat, ut acore aſtantium nares feriret. Agrypnia infeſtabatur perpetua ab acore ventriculi, nec cibos, nec vinum, nec cerevisiam, nec medicamenta etiam inſipida admitte-

bat ventriculus, ſed vomitu eosdem extemplo excludebat, contentus Cereviſia ſecundaria aut aqva fontana. Inde per menſem ante obitum nec ſomno, nec cibo, nec potu, praeter aqvam, nec medicamentis uſus, mente adhuc, quod mirandum, conſtans, in Domino placide obdormivit.

Obſ. XIV. *adn.* II. & *c. 4. n. 18.*

MAlignam qualitatem Scorbutico tribuis ſali, ob varias cauſas, cumprimis quia contagioſus exiſtit. Contagium illud vel a Parentibus in Sobolem, vel ab uno in alium & proximum traducitur. De primo non eſt, ut dubitemus aut anxie in cauſas inquiramus. E lympha ſemen, inde & ideae morboſae lymphae impreſſae a Parentibus tranſeunt in liberos. Inde pleriqve morbi haereditarii ſunt lymphatici. An vero eo modo ſit contagioſa Arthritis, ut etiam alios inficiat, dubitarem. Tacite etiam dubitantes mecum invenio Medicinae conditores, qui aſſerunt, tale contagium non inficere, niſi in corpore adſit apta viſcerum diſpoſitio. Qvae ſi adeſt, in actum tandem traducetur,

ur,nullo quamvis praeſente contagio. ſecus vero in Peſte accidit, cum optimae conſtitutionis corpora tentantur, & ad Cœmeteria ablegantur.

Obſ. XV. *ad n. 23.*

QVaeris, cur nervoſis & tendinoſis partibus, non aliis infeſtum ſit hoc al. Dicis ex totius ſubſtantiae proprietate id contingere. Eodem modo & convulſiones ob talem humorem ſpecifice nervis obnoxium evadere reſpondit olim *Sennertus.* Poſſent addi & aliae cauſae, partes ſangvineae obtuſioris ſunt ſenſus, ſangvinique juncta dum adhuc ſtagnat lympha, ab ejusdem unctuoſitate & dulcedine ejusdem temperatur acrimonia & aciditas, a ſangvine vero ſeparata, & ad glandulas amandata, non tantum in eadem ſalſedo exaltatur, ſed glandulis copioſe collecta eidem communicatur, de partium membranoſarum exquiſito ſenſu, ut nihil addam.

Obſ. XVI. *ad c. 4. n. 12.*

QVae de mulieribus a menſtruorum ſuppreſſione afflictis refers, ſaepius obſervavi. Cordis anguſtiam ſuffoca-

tio uteri ſeqvitur, quae a conſveti contra ſuffocationem Pharmacis magis exaſperatur. Sudore ſubſeqvente melius habent, inde ad Diaphoretica Scorbutica me converto. Ab odore Olei Succini, nullo alio juvante, plures excitatas vidi.

Obſ. XVII. *ad c. 6. n. 7.*

TUmores etiam. Tales deprehendi in Conſule, cujus Obſ. 13. mentionem feci. Jn calce utriusque pedis talem tumorem habuit, qvibus apertis, humor ſeroſus, aliquando lacteus effluxit: multum inde ad tempus ſenſit levaminis.

Obſ. XVIII. *ad n. 8.*

NOctu dolores exacerbantur, quia ut in aqvam Macrocoſmi ſuum exercet dominium Luna, ita & in Microcoſmi lympham. Plura *Helmont. tr. Catharr. delir. n. 67. & ſeq.* Vermiculos in urina nunquam potui obſervare, hoc vero ſaepius, quod inſtantibus doloribus urina inſtar loturae carnis apparet. Alvus vero eſt aſtrictior ſolito, ob exoticam ſucci Pancreatici qualitatem. Lanio iſte, cujus ſupra *Obſ. 8.* mentio facta,

ſta, ſaepe per integram ſeptimanam nihil excernit. Nihil hic Clyſteres. Sumſit ſaepius fol. Senn. ſeſqvi Unciam & parum profecit. Hactenus praemiſſis aperientibus Scorbuticis, aliqvando etiam Clyſtere, Fol. Senn. unciam cum prunis decoxit, decocto iſto ſumto Reſin Galapp. gr. xv. aliqvando ſcrupulum, Reſin. Scammon. gr. v. vel vij. in Spiritu Fœnicul. & Cuſcut ſolut. cum Syrup. Sceletyrb. uncia deglutiit, & bis, rarius ter alvum deponit. Singulis fere menſibus contumacem alvum hoc modo caſtigat, materia varie colorata egeſta, ut paucorum dierum ſentiat levamen.

Obſ. XIX. *ad n. 10.*

NOn ſolum ob dolorum atrocitatem, ſed & calamitatum varietatem veneficis aliquando hic morbus aſcribitur. Die 18. Junii elapſi anni qvidam juvenis 20. annorum Tzſchopenſis cum Chirurgo hujus loci Theophil. Voigt me conveniebat habitus Scorbutici, qui a primis fere annis hoc malo laboraverat. Corripuerat hunc ante aliqvot annos enormis & vagus oculorum dolor,

lor, quem inſecuta dextri cœcitas. Re-
mittente dolore, ſub ala ſiniſtra tumor
apparuit, ſalis Scorbutici mordacitate
ſumme doloroſus, qui ſuppuratus, de-
mum ichorem ſalſum copioſe evacua-
vit, nullo adhibito Chirurgo aut Medi-
co, materia retrograda dolores in utro-
que hypochondrio excitavit, ſicceſcen-
te aliquantiſper humoris ſcaturigine.
Ante annum demum conſvetum locum
repetiit, doloresque brachiis intulit fe-
roces, brachium tandem dextrum ita
turgidum reliqvit, ut illud ab *Hildano*
Cent. 4. *Obſ.* 69. depictum repraeſenta-
ret. Certis vicibus dolorem in eo
ſentit mordicantem, ut & in manu ſini-
ſtra, cujus digiti etiam tumidi ex par-
te apparebant. Veneficio vulgus id
tribuit, quod Scorbuto debebatur. In-
fuſoriam huic libenter adhibuiſſem, ſed
recuſabat. In Arthritide eam Geda-
nenſes non ſine fructu adhibuiſſe *Elſ-*
holz Clyſm. nov. append. p. 71. teſtatur, nec
in Cachexia Scorbutica eam improbat
Etmüller. de Chirurg. Infuſ. Concl. 5.
§. 3.

Obſ.

Obſ. XX. *ad c.* 7.

PRopter peculiarem cum corde Sympathiam, ſi ſiniſtrae manus digitus minimo proximus, articulari morbo corripiatur, mortem inſtare, vult *Lemnius l.2.de occ. nat. mirac.p.m.*182.*& ſeq.* qvi tamen experientiam ſaepius habet repugnantem. Hoc animadverti in Conſule ſaepius allegato, malum illud medio ſiniſtrae manus digito incepiſſe, & poſtmodum reliqva infeſtaſſe membra, eumque demum menſe exacto trucidaſſe.

Obſ. XXI. *ad c.* 8. *n.* 19.

FOnticulorum uſum ſingularem deprehendi in modo commemorato Conſule, hic in dextro brachio meo conſilio fonticulum geſtavit, & illud ab hac tyrannide, caeteris omnibus afflictis, ſenſit incolume. Lanio iſte, de quo *Obſ.* 8. dextrae malae, ob tendines muſculorum laxatos, ab humore Scorbutico Paralyſin incurrit, inde muſculis prolapſis oris turpitudo, loqvelae difficultas, lingvae enim motus a muſculis impediebatur, oculique dextri ſufflaminata clauſura & imbecillitas.

Mul-

Multis fruſtra adhibitis, malum illu
fonticulus ſiniſtro brachio affixus ſuſtu
lit.

Obſ. XXII. *ad c. 9. n. 33.*

OMnes fere Scorbutici & Hypochon driaci difficulter purgantur, Sal illud Scorbuticum aut acor, an purgantium vires infringat, an obſtructiones viam intercludant, quaeri poſſet, utrumque non abſonum. Alkalia digeſtivi loco praemiſſa, faciliorem fecere alvum. Qvod purgantia in minori doſi idem praeſtent, quod in majori, etiam de Pilulis Glaſſianis publice proditur, ut credam, induci non poſſum. Obſtat illud: vis unita fortior. Nodulos vero utpote qui ſenſim aperiunt, materiam incidunt, & evacuant, cum fructu adhibere ſoleo.

Obſ. XXIII.

HOc etiam in Scorbuticis notandum, eos aliqvando ſubita corripi *ἀφωνία*, ſenſibus & reliqvis actionibus incorruptis. Tenebatur ea ante aliqvot annos Juris Studioſus per quatriduum, ut ipſe mihi retulit.

Obſ.

Obſ. XXIV.

MAteria confeſtim in parte cumulata, dum dolores ſubſiſtentes concitat, veſicatoria blanda commendo. Blanda voco Cataplasmata ex Anti-ſcorbuticis & lenientibus dolorem, quae calidiora quam par eſt, membro applicata, non ſolum dolorem mitigant, ſed & veſiculas excitant, qvibus apertis humor exſtillat. Profuit hoc multis, & in Iſchidiaco dolore intolerabili nuper etiam ſucceſſit. Hanc ob cauſam etiam Thermae Annaemontanae a multis praeſervationis gratia ſalubriter adhibentur. Poſt aliqvot ab earundem uſu dies, veſiculae per totum corpus erumpunt, inde multum humoris evacuatur, cutisque eroſa aliquantisper ab earundem uſu poſt aliquot dies iterum conſolidatur.

Obſ. XXV.

ARthritis iſta ſi in Paralyſin tranſeat malum. Accidit hoc ſaepius allegato Conſuli. Doloribus remittentibus nullus in toto corpore motus, dextrum ſi excipias brachium. Duabus vero ante

ante obitum diebus rediit motus, u
etiam incedere poſſet, & manſit usqu
ad extremum halitum. Sed abrumpo
Plura cumprimis de cauſa hujus mali,i
ſubſeqventibus literis. Tu interea
Vir Excellentiſſime

Da veniam maculis, quas aut incu
ria fudit
Aut humana parum cavit natura

(*Horat.in art. Poet.*)

In Tractatum de Arthritide
vaga Scorbutica.

VIcit Chimaeram, vicit Amazonas;
Vectore prudens Bellerophon eqvo
Meduſa qvem tridentiferque
Progeneraſſe ferunt Parentes.
Septentrionis beſtia Balthici
Infamis olim littoris Incola
Scorbutus, & noſtras in oras
Membraque ſpicla tremenda vertit.
Cruore dentes & maculis genae
Fœdantur, altum ducere Spiritum
Diaphragma cogitur, gravatum
Effluviis hypochondriorum.

It nocte

t nocte cœlo clamor in artubus
Dum lympha mordet toxica nervulos
Diana pallet, aſtra pallent
Ad miſeras qverulasque voces.
Arthritis haec eſt peſſima, peſſimi
Propago Patris, quo Scelotyrbica
Magis ferociret Podagra
Progenerat Scelotyrbe gnatam.
Rota Ixionis, pœna Promethei
Nil ad laborem, quem parit haec lues
Vagum Varenorum, Chimaerae
Soror & Eumenidum Propago.
Hic ut Chimaeras has Epidaurius
Apte domaret, mox duce Pegaſo
Qveis vincienda monſtrat apte
Haec medicaminibus Megaera.
Ut ergo cladem cum Patre filia
Praevidit, orcum reppetit, omnium
In Pegaſum feruntur ora
Atque datos celebrant triumphos.
Vicit Chimaeram, vicit Amazonas
Vectore prudens Bellerophon eqvo
Nos vincimus proſternimusque
Te duce PEGASE tot Chimaeras.

EPISTO-

EPISTOLA XLII.
AD PRÆCEDENTEM RE- SPONSORIA.
D. Valentini Andreæ Mollenbroccii

HALA *CHEMNITIUM.*

Literas tuas reſponſorias una cum Carminibus, Diſputatione Inaugurali ac Obſervationibus accepi, ad illas cum DEO brevi fuſius reſpondebo, pro iſtis gratias ago maximas, has ob negotia perlegere mihi nondum licuit; perlectas autem Tractatui meo, D. V., non ſine honorifica Tui mentione inferam. Kornmanni Tractatus num in Senatus, aut Collegarum meorum Bibliothecis reperiatur, expiſcabor, Tibique ſi in promptu ſit, procurabo. Hisce vale & favere perge.

Hala Saxon. d. 7. Martii.
Anno 1669.

EPISTO-

EPISTOLA XLIII.

DE DIDACTICA NOVA. DE NOVIS INVENTIS GOERICENII CONS. MAGD. ET ACADEMIA CURIOSA.

M. Joh. Cammerhofius
L. C. F. Garmanno
ISLEBIO CHEMNITIUM.
S. D.

AUgiae ſtabulum Islebii everrendum novo mihi demandatum eſt fato: Moles negotiorum plus qvam Ætnaea impoſita, humeros ferme deprimit, & manus calamo ſcriptorio ita defatigatas evacuat, ut vix ſeſe movere queant. Ignoſcat igitur V. E. quod hactenus volenti ad Vos literas dare, & amiciſſimis Veſtris veteris amicitiae noſtrae obſidibus aſſurgere, ſemper otium negotioſum averterit manum, nunqvam vero mentem. Utinam
dextris conjungere dextras
Parthenopoli licuiſſet! Gratias ago pro affectu prolixiori qvem literae V. ſolida

 eruditio-

eruditione, & elaboratiſſima Diſputati
undique ſpirant. Remetior hanc προθυ
μίαν qvalibus qvalibus hoſtimentis ha
ctenus Islebii vulgatis, Concione Apo
tactica, Programmate & Diſputation
Catechetica de Catechiſmo Practico, i
qua Dnn. Myſtas Islebienſes oppido ha
bui faventes opponentes. Addidiſſem
Logicam Practicam, ſed fortean viſa eſt
neque ob ſphalmata qvibus ſcatet, Do
ctorum vultum ſuſtinere geſtit, publi
ce hic praelegitur, in Gymnaſio Bero
linenſi ſuas egit radices. Syncretiſta
Magdeburgenſis DIB eam allatravit, ſe
privatim ore, non calamo, multas me
ditationes Didacticas mihi e manibu
excuſſit per decennium, quas in prae
ſenti ſtatione ſimilibus, aut ſcriptis in
Theol. per DEI gratiam compenſabo
Medicinae Didacticam Dn. D. Rolfinc
cio probatam eſſe, literae ipſius ante
biennium ad me datae, abunde teſtan
tur. Ichnographiam illius & praegu
ſtum in *Logica Practica* dedi *pag.* 87
juxta partem generalem de fine ſubje
cto & Mediis, & ſpecialem Medicinae
Dn. D. Hoffmanni calculum dudum
etiam

iam legi album de hoc Meletemate.
n Theol. Jurispr. Philoſ. Philol. Orga-
ıicis potiſſ. Logica & Rhetor. ut & poe-
ica parilia in ſorulis jacent privatis.
Theologia me totum habet jam modo:
n cujus Syſtemate ſeptipartito Exege-
:co-Thetico-Polemico-Ethico-Euſe-
iano-Paracletico-Caſuiſtico ante o-
tennium contubernium habui Studio-
ɔrum in convictu meo, veſtigia illius
:gat V. E. in Diſputat. transmiſſa. Ide-
m Syſtematis Theol. paucis ſepti-
nanis Witteberga dabit, Licentiam
heol. Gradus praefixam volebat Al-
ıa Mater Leucoris, ſed detrectavi ha-
:enus, quamvis in ſtatione moderna
ıerint praedeceſſores hujus Agalmatis.
n. Conſul Goericenius (a Goeriken
ɔdie Caeſarea autoritate dictus) ſu-
:rat adhuc, intimae ipſi fui admisſio-
, ipſius Demonſtrationibus & Mſc. de
ſtemate mundi, aliisque εὑρήμασι fer-
e immortuus. Caſpar. Schottus ſu-
:riori anno diem obiit. Ipſius Inven-
m evacuativum ipſi Clavis eſt totius
aturae vi oppoſitorum, in Meteoris
echanicis & Aſtronomicis ad ſtupo-

rem usque verſatus eſt Vir non quan-
titate molis, ſed virtutis magnus. De
Spiritu Mundi aereo, nihil ipſi venit in
mentem : Nietnerianus laudatur ab
his, culpatur ab illis. Idem memini
in Friſia aliqvando ex aqua pluvia ten-
taſſe Nobilem, cujus Spiritus ita ſubti-
lis erat, ut guttulae ferme in aerem a-
bierint effuſae. Dn. Licentiatus in
Curioſorum Collegio novus Democri-
tus haec melius excutiet. Legi ante
qvadriennium, & quod excurrit , no-
vae hujus Academ. Diſſertationem, &
miratus ſum D. Sachſii Ampelographi-
am, & Dn. D. Möllenbroccii Cochlea-
riae acrimoniam, pergite,Vos magni
Æſculapii, in Naturae Curioſo ſtudio
emetiendo; Veſtrum penſum ſcire a-
veo; meus Garmannus ſit totus Mannus;
& Holander, non Hollandus , & quae
ſint nova V. Collegii Curioſi Membra:
fortean Dn. D. Major ex Medicina Infu-
ſoria hodie notiſſimus , & alii acceſſe-
runt. Utinam in Theologicis Socie-
tas ſurgeret de Compendiis Herme-
neuticis legendi & interpretandi Scri-
pturam S. accuratiori Theol. compendio
qvod

quod fidem & vitam ſimul formaret. Polemica accurata & ſexcenta alia exoptanda, ne tantum Controverſiis, uti vulgo fit, Theologia aeſtimaretur, & ſolis Poſtillis. Sed qvo abeo! Ignoſcat affectui calamario. Vale Dn. Licentiate, Amicorum optime, & hoc aeqvor ſaepius tranare non dubita, proceleuſma amicitiae ſaepius pennam movebit.

Islebii, d. 7. Mart. 1669.

EPISTOLA XLIV.

EPHEMERIDES GERMANICÆ. LIQVOR REFECTIVUS.

D. Philippus Jacobus Sachſius a Lewenheim

L. C. F. Garmanno

VRATISLAVIA *CHEMNITIUM.*

S. O.

NOn dubito pro redhoſtimento voti a Te Calendis Januar. pro mea ſalute profuſi, ſtrenae loco a me aedes Tuas intraſſe bina Epigrammata, Gemellis Tuis Curioſis partubus praefigen-

genda, illa etenim Lipſiam Nundinarum tempore a me transmiſſa fuerant, ut inde data occaſione Chemnitium migrarent. Qvare paucis lineolis ſignifices, num absque naufragio portum Tuum intrarint; quod ſi vero adhuc nondum oblata fuerint, ne amplius parturientibus tuis laboribus moram injiciant, transmiſſionem hac occaſione eorundem repeto. Interim mire arriſit erudita Tua Curioſiſſimorum opuſculorum diatheſis, quibus titulis hinc inde quaedam notatu digna a me addi poſſent, niſi vererer, laciniam Tuae Purpurae videri aſſuere velle. Et timeo, ne nimia mea mora Reſponſoriarum occaſio capillata elapſa fuerit, ſi forte his vernalibus Nundinis Fœtus Tui Gemelli Lucinam experturi ſint. Fateor, me ſaepius calamum admoviſſe, ſed alio diſtractus per Praxeos occupationes, aliasque turbas, invitus diſcedere coactus fui. Quare ne ex hac tarditate ſcribendi animi candorem & affectum dijudices imminutum, oro obteſtorque, qui Tibi perpetuo erit addictus, quam diu ſpiritus
hos

hos reget artus. Mitto itaque hac oc-
caſione quaedam Curioſa Miranda
mortuorum concernentia, proxima ſe-
ptimana adhuc alia ſeqventur, nec non
ea, quae de incremento Collegii no-
ſtri cum quibusdam Medicis his in Sile-
ſiacis oris meditatus fui, ex quorum
numero, ut praeter opuſcula Curioſa
de Vegetabilibus, Animalibus, Mine-
ralibus, ad eum modum quo Epheme-
rides Eruditorum in Galliis eduntur,
Obſervationes Medicae tam Phyſicae
qvam Anatomicae, Pathologicae, The-
rapeuticae, a Medicis tam in, quam ex-
tra Collegium viventibus communica-
tae bis in Anno Nundinis ſcil. verna-
libus & autumnalibus ſub Curioſi Col-
legii nomine edantur, addito nomine
Medici, cui & a quo communicatae,
ne quis legitimo honore defraudetur,
ſic Obſervationes rariſſime Svinfurtum
transmiſſae, collectae, & a Triptole-
mo noſtro impreſſae, rarioribus iſtis
deliciis & Eruditorum palatum demul-
cerent, & Collegio famam majorem
pararent. Quod ſi ex Collegarum nu-
mero quis exceſſerit, ſub calcem iſtius

curriculum vitae, dies mortis, & edita opuſcula addi poſſent. Plura propediem, interim hac de re Tuum judicium expecto. De Pulveribus Tuis crepitantibus ex Lycopodio & Corylo obſervationes Curioſae illae fuerunt & notatu dignisſimae , dignae ut Corylo Tuo inpoſterum annectantur , dignae, ut experientia crebra ulterius veritas exploretur. Liqvorem refectivum meum, quem petis, ut communicem , neſcio ſane, quid ſub hoc nomine indigites, ſiquidem, quod certiſſime credas velim, talem liquorem non poſſidet pauxillum meum Armamentarium Chymicum, quem promptiſſime alias communicarem, una cum reliquis meis medicamentis. Olim quidem ante aliquot annos paravi medicamentum ex Benzoes, ſtyrac. calamit. ladan. Balſam. Orient. ver. ana unc. ſemis , ambr. gryſ. drachm. ſem. extraxi cum ſpiritu vini Tincturam, quae aqv. Roſar. praecipitata exhibuit liquorem lacteum, Juleb. Violac. edulcorandum , qui interne ſumtus confortans cenſetur, externe coſmeticum pretioſum ; hactenus

nus tamen non amplius tentavi laborem, cum illius vires non ſenſerim fuiſſe extraordinarias, & Eſſ. Ambrae per ſe fere idem praeſtet. Qvis tamen Liqvoris hujus mentionem fecerit & commendaverit, rogo inpoſterum ſignifices. Hiſce vale, & proxima occaſione plura expecta. Vale iterum & fave.

Uratislav. d. 9. Mart. 1669.

P. S. De Mumiis Ægyptiorum ſelectisſima mittam ex Itinerario Turcico-Perſico Petri della Valle, quod Italice ſaltem editum.

EPISTOLA XLV.

DE ALOE SCHLIBENSI.

L. Chriſtiano Friderico Garmanno

Georg. Erdmann Voigt

JENA *CHEMNITIUM.*

S. D. P.

MEmor eqvidem fidei, de communicanda una & altera materia literaria aeqve ac hortenſi, datae, eandem

dem nunc exſolvere eo libentius ſuſciperem, ſi hoc ipſo voto atque expectationi V. E. me ſatisfacere poſſe crederem. Primo enim nihil omnino de conſignatis Scriptis coemere licuit, praeter unicum, qvem nupere tramiſſum acceperit, tractatulum; Caeteros vel jam tum redemptos eſſe, vel nondum librarias ſuas vidiſſe noſtrates aſſerunt Bibliopolae. Deinde haud abs re neglectum horti Medici ſuſpicatus ſum, omnia qvippe ferme devaſtata, extirpata ſunt, nilque niſi culinares quaedam herbulae inibi conſpiciuntur. Num vero de novo reparatio fiet, docebit dies. Caeterum non procul abhinc ſitus eſt locus, Schliben dictus, ſedes qvondam Generoſ. Chiliarchae ab Heesler, qvi ſplendidum ibidem plantavit hortum, quem cum ante octiduum inviſerem, reperi inter alia nobilem illam atque inter caeteras propemodum principem plantam, Aloen, numeroſum promittentem florem, poſt decurſum aliqvot duntaxat hebdomadum conſpicuum: caulis ad minimum ſex cubitorum longus, in circumfe-
rentia

rentia dimidium cubiti denſus erat, caetera aſpectu jucundiſſima planta. Hanc dum vivis coloribus V. E. ſiſtere neqveo, id tamen curabo, quo artificis manus eandem delineet. Tandem ut ſtatum Academiae noſtrae nominem, is etiamnum floridus eſt & egregie auctus nundinis hiſce Lipſienſibus, ſupra ducentos enim Rector Magnificus, qui huc appulerunt, Studioſorum numeravit, ferunt Wittebergae nonnihil diſſidii eſſe inter Academicos & urbis Cives, & hinc tantum eſſe confluxum. In quo vero Profeſſorum noſtrorum verſetur nunc opera, perſpici licebit ex Catalogo nuper affixo, quem mitto una cum Diſputatione qvadam Medica. Denique E. V. plurimum valere jubeo, meque ulterioris Ejusdem favoris participem fore certus confido.

Jenæ, 16. Maji. 1669.

EPISTOLA XLVI.
RESPONSORIA AD PRÆCEDENTEM DE ALOE.
L. Chriſtiani Friderici Garmanni.

MIhi vero gratisſimum fuit, quod datae

datae memor fidei, eandem oppido liberare tentaſti. Te inviolato ſanitatis curſu ſtudiorum percurrere ſtadium libentisſime accepi. Adſit Tuis DEUS porro cœptis, ut quam, nominis ejus ut propales gloriam, ſuſcepiſti metam, non inglorius in hoc ſtadio curſor aſpires. Me qvem abituriens laetum vidiſti, in ſqvalore conſtitutum ſcias, nec ſine cauſa. Mortalitati, quod mireris, altera ab abitu tuo die, ſatisfecit meae altera pars animae. Abſtulit eam, qvam modo dederat divina manus, finisque Conjugii a principio ſic oppido pependit. Qvae de Aloe refers, memoriam refricarunt Hiſtoriarum variarum, qvas in Horticultura ſua communicat *Elsholzius*, & in *de Aloe tr. Exc. Dn. D. Major*. De ea etiam tractatum evulgare conſtituerat *Dn. D. Urſinus*, Botanicus accuratiſſimus, ni morte fuiſſet praeventus. Iconem qvaeſo communica, meis ut de plantis rarioribus Exercitationibus inſeratur curabo, locum tamen & tempus accurate ut addas, cum reliqvis, ſi qvae haberi poterunt, circumſtantiis opto. Cum ſtrepitu cau-

caules eam emittere *Borellus* obſervavit, & non niſi terrae concreditam eandem florere, *Elsholzius.* Idem an hic contigerit, qvaeſo annotes. Vale.

Chemnitii, d. 28. Maji, 1669.

EPISTOLA XLVII.

DE MORTE CONJUGIS. EPHEMERIDES GERMANICÆ. ACADEMIÆ CURIOSÆ SIGILLUM ET LEMMA. COLLEGARUM RECOMMENDATIO.

D. Philippo Jacobo Sachſio
a Lewenheim
L. C. F. Garmannus
CHEMNITIO *URATISLAV.*
S. D. O.

QVod Phoſphorus luce interfecta ſuſpirioſis a morbo, idem mihi in tenebris ſqvalori obſtetricanti Tuae literae. Excuſſerat omnem animo ſplendorem ſidus defunctum, defunctum inqvam ſidus, animae meae dimidium, Conjunx dilectiſſima, Magdalis Bergeriana, die 20. Aprilis catharro ſuffo-

ſuffocativo inſperato ablata, DEO oblata. Totus mœſtitia corrumpebar, triſtitia mens in lacrymas praecipitabatur, curarumque purulentia in ſuſpiria diffluebat animus. Muſae mihi ſordere incipiebant, imo ipſa Natura, qvippe qvae dum vitam corporibus naturalibus conceſſit, perennitatem ipſis invidiſſe videtur. Squalet adhuc animus, omneque ſtudiorum genus, qvo olim tenebatur, depreciat. Si quid vero inpoſterum ſtudiis aſcribet temporis, id unum Tuae, Vir Excellentiſſ. Humanitati & affabilitati debebit noſter Delius. Illis quod iterum ſudare decreverit animus a ſtudiis alienus, id unice Tuis referendum literis. Multum ſane intereſt, a qvo qvis excitetur.

Tantus autem mihi eſt Sachſius, jam vere meus, ut literarum vela quamvis complicata, ad effatum ejus ſi non panderem, piaculum putem. Et cur non hoc? Totus ſiquidem in eo es, Vir Excell. ut Te duce naturae pateat gremium, veritasque in puteo deliteſcens Te Autore in apricum emergat et ſudum videat. Omnes id confitebuntur,

qui

qui Tuam in ſtabiliendo noſtro Collegio ruminabunt ſolertiam, quam praeter erudita tua ſcripta, de novo conditae leges aperte loqvuntur. Tanto fervore a primis Collegii cunabulis ejusdem incremento litaſti, ut ne levem quidem otii in Te fabulam dares. Qvid fiet inpoſterum, ſi Ephemerides nobiliſſimum illud inſtitutum ſingulis annis lucem videbunt, nosque Epimenidis inter alia negotia ſomno minime indulgere liqvido teſtabuntur. Sane ſi qvicqvam eſt, quod Academiae autoritatem, nobis famam affricare poterit, Ephemerides erunt, utque alii in noſtra tranſeant caſtra, tacite compellent. Quod vero meae tenuitatis hac in parte conſenſum reqvirere voluiſti, id ſane affectus, non ipſa tibi dictitavit neceſſitas. Aſſurgendum Vobis eſt, Viri Excellentiſſimi, Tibi inquam Magnif. Fehri, Tibi Nobiliſſ. Sachſi, Tibi Excellentiſſ. Schmidi, Vobis, repeto, veſtrique ſimilibus. Dii Vobis principatum dedere, nobis obſequii gloria relicta eſt. In illud modo Veſter eat labor, ut publico programmate Ordinis noſtri ortus

ortus, progreſſus & Decreta propediem evulgentur, tempus quo ſeqventi anno Ephemerides primum evulgabuntur, & loca doctis, qvorſum obſervationes mittendae, accurate intimentur. Catalogus pariter Dnn. Collegarum, quidve ſub manibus eorum ſudet, his adjungatur, ut eo melius data occaſione de hac vel illa materia cum illis communicare poſſimus.

Qui ſint illi Medici Uratislavienſes, nuper Collegio noſtro aſcripti, ſcire deſidero, ut & cum illis, ad Te cum itur, amica ſalutatione affectum ventilare valeam. Signetum ut vocant, Academiae conſvetum, ut ingenioſum eſt, ita imperfectum videtur, ſi cum Anglico conferas, lemmate quia deſtituitur. Ut igitur & hac in parte conſvetudini ſatisfiat, addendum erit aliquid, v. g. pagella, in qua oculus pictus: Animus Curiosus. Hunc enim Emblema illud forſan denotabit, & ornabit: Nunquam Otiosus, partim ut ſolertiam noſtram acuat, partim ut demonſtremus, quam ab otioſa curioſitate ſimus alieni, ſed haec obiter. Liquoris

qvoris tui refectivi mentionem fecit in ſua *de Infuſoria* diſſertatione, qvae ſine dubio etiam Muſaeum Tuum intravit, *Dn. D. Michael Etmüller* : Vir juvenis acuti ingenii, infinitae lectionis, multifariaeqve experientiae. qvam variis in Galliam, Angliam, Italiam & Belgium emenſis itineribus feliciter ſibi comparavit. Hujus ab ingenio qvin ſingularem ſibi ſplendorem mutuare poſſit Academia noſtra, nullus dubito, ſi eidem aſcriberetur. Eſt & in vicinia Schneebergae Practicus inſignis Dn. D. Joh. Chriſt. Makius, Phyſicus ibidem celeberrimus, qvem noſtro frui contubernio optarem, ut e Noſtris mihi eſſet, cum qvo literarum ſerram reciprocarem commodius & felicius. Tu quid de nobili hoc Pari ſentias, propediem ſignifica. Si forſan ad Te non pervenit Dn. D. Etmülleri de Morſu viperae Inauguralis, eam adjunxi, utpote meo judicio doctam ſatis, ſatisqve curioſam. Infuſoriae ejusdem exemplar, ſi lares tuos nondum ſubiit, ubi reſcivero, proxima occaſione transmittam. Qvod medicamentorum Tu-

orum deſcriptiones laudanda facilitate, ſi easdem expeterem, me non celare decreveris, lubentiſſime accepi. Si peculiare Tibi Anti-Hydropicum, Scorbuticum, Melancholicum eſt, in eo vel publicae ſalutis gratia Te mihi praeſtes facilem. Haec enim ſunt illa monſtra, cum qvibus in dies Medici hic, & circa Metallicas fodinas commorantes, conflictari neceſſe habent. Notas Tuas in miracula mortuorum ut pertexas, enixe ſolicito. Haec dudum vulgaſſet Bibliopola, niſi partim doctiſſimae pariter ac gratisſimae Tuae ad ea in promtu fuiſſent Obſervationes, partim Kornmanni (neſcio qvo fato, dum Martisburgo Chemnitium librariam meam ſupellectilem transferre juſſi) jactura, quam neque Lipſienſes, neque Wittebergenſes, neque Hallenſes, neque Freibergenſes, neque noſtra Bibliotheca reſarcire hactenus potuere, moram poſuiſſet & obicem. Te vero hunc Tractatum etiam aſſervare, indices Autorum operibus tuis annexorum propalant. Qvem ſi per harum latorem Dn. Graumerum, Mercatorem

rem Annaebergenſem transmitteres, nihil gratius quidem mihi accidere poſſet. Remittam eundem per eundem, proximis Nundinis. Sed qvo dilabor? Tuum erit e prolixioribus literis affectus metiri propenſionem, e petitis autem licet durioribus & ſine fronte, ſpem firmam de ſinceritate Tua ſemel conceptam. Vale.

Chemnicii prid. Calend. Jun. 1669.

EPISTOLA XLVIII.
DE LEGIBUS ACADEMIÆ CURIOSÆ.

D. Joh. Michael Fehrius
L. C. F. Garmanno

SVINFURTO *CHEMNITIUM.*

S. P.

PRaeteritis Nundinis Lipſienſibus, quae hujus anni Januario celebrabantur, debitae obſervantiae & honoris ergo, ac reſponſi loco, literas cum qvibusdam Iconibus meis Lipſiam ad Dn. Kirchnerum Bibliopolam & conſeqventer ad E. T. deferendas tradidi, ſed

ſed qvoniam hactenus reſponſoriae huc appulerint nullae, & ego de traditione mearum nonnihil dubitem, haſce ad E. T. exarare volui, ut vel tribus de meis acceptis me certiorem facias, & animi Tui ſententiam ſuper Academiae Natur. Curioſorum leges auctas ſimul transſcribat. Ardua haec res eſſe videtur, matura deliberatione opus erit,

Sint Mecaenates, non deerunt Marce Marones.

Sed qvid tentare nocet, nemini, me judice, unqvam diſplicere poterit noſtrum inſtitutum, cum illud in gloriam DEI & proximi emolumentum vergat omne. Vale cum lectiſſ. & Dilectiſſ.

Svinfurti, prid. Cal. Jun. 1669.

EPISTOLA XLIX.
DE ALOE SCHLIBENSI.

L. Chriſtiano Friderico Garmanno
Georg. Erdmann Voigt

JENA *CHEMNICIUM.*

S. O.

RESponſorias laetiori qvidem argumento

mento conſcriptas praeſtolatus eram, cum eheu! peracerbam Conjugis dilectiſſimae mortem retulerint. Damnum inde ortum facile video, luctum perſentiſco, ipſemet compatior, eoque partem luctus facio meam; DEUM interea precatus, quod abſtulit ille Omniſapiens, ut magno qvidem cum fœnore laetitiae & felicitatis idem refundat. Qvod alioqvin rem pergratam fecerim Aloes noſtrae memoria, ipſe mihi gratulor, hoc ipſo egregiam occaſionem nactus, obſervantiam meam V. E. debitam exolvendi. Id igitur ſedulo inpoſterum agam, qvo cuncta Regia iſta de Planta notabilia innoteſcant. Nunc vero qvoniam priſtinam adhuc habeat formam, neqve ramos oſtenderit ſuos, nihil praeterea de eadem addam, niſi qvod contra Borellum certo ab Hortulano edoctus fuerim, ſine omni ſtrepitu caulem emiſiſſe, imo ipſo non animadvertente. Contra Elsholzium vero annotaverim ipſe, non hanc terrae continuae & firmae, ſed exiguae admodum lignisque intercluſae concreditam, florem promittere. Reliqua

nunc tempore excluſus alia occaſione data, exponam, & forſan fuſius. Nihil caeterum quod nunc exhibeam ferme ſuppetit, adeo enim rarae ſunt Medicae diſputationes; proximis vero Cl. Schrökii pro Licentia diſputationem accipiet. Sin autem interea V. E. nova qvaedam videre & legere lubet, communicabit Clariſſ. M. Engel Rector Tractatulum qvendam a Mathematico noſtro conſcriptum, quem ipſe miſi, in quo ſtudio a communi ſententia ſecedere videtur. Specimina alias Inventionum qvae ibi habet, maximam partem in aedificandis noviſſimis aedibus, non ſine admiratione adhibuit. Hiſce valeat faveatque.

Jenæ, d. 21. Jun. 1669.

EPISTO-

EPISTOLA L.

SUPER MORTE UXORIS SYMPATHIA. COLLEGARUM NOVORUM SYLLABUS. LIQVOR REFECTIVUS. SPIRITUS TERRÆ SOLARIS.

D. Philippus Jacobus Sachſius
a Lewenheim
L. C. F. Garmanno

URATISLAVIA CHEMNITIUM.
S. D. P.

Condoleo Fati neceſſitatem, qvae Tibi dulciſſimam Tuam Cajam ſurripuit; ita inter funera ſemper mortesqve vivunt Medici, nec dum aliorum arcere ſtudent, proprias depellere poſſunt calamitates. Fortior omni humano ingenio & ſcientia divina Providentia, quae ut ſortem naſcendi omnibus conſtituit, ſic & irreparabile tempus exeundi, ut meliore vita mortalitas compenſetur. Hactenus per biennium Sororis, Patris fere octuagenarii, nec non Conjugis meae Matris fu-

 nera,

nera, lugubres mihi fecerunt aedes, Conjugi tamen cum qva per ſedecim annos tranqvillam ago vitam liberisqve binis ſanitas incorrupta, qvam ut DEUS longius adhuc conſervet, exorare, precibusque ſupplicare mearum partium eſt. Faxit JOVA, ut E. T. inflictum vulnus conſolidetur, qvo eo liberius Muſarum & Curioſorum caſtra ſequi posſit. Pro cura quam cum Dn. Praeſide in Collegii incrementum impendo, nulla opus gratiarum actione, faxit JEHOVA, ut conatibus noſtris felix tandem ſuccedat eventus. Ubi reliqva Dnn. Collegarum vota collecta fuerint, Programma, leges & reliqva neceſſaria propediem migrabunt per orbem, non defuturi erunt Collegae. Ego jam Uratislaviae tres in ſocietatem noſtram adduxi, Dn. D. Henricum Vollgnadium, qvi per pluſculos annos Altenburgi in convictu D. Ausfeldii fuit: Dn. D. Jeniſium, Virum admodum curioſum, & D. Joachim. Georg. Elſnerum, Phyſici noſtri filium, qui praeter Germanicas Academias Lugduni Batavorum in convictu *D.* Sylvii vixit, Gal-

liam

liam & Italiam cum fructu perluſtravit, cum plurimis Medicis amicitiam contraxit, ut vel hujus opera ab Exteris literaria commercia & communicationes ſperare poſſimus. Admonitio de Lemmate, NUNQUAM OTIOSUS, curioſa ſatis, qvare & ut eadem obſervetur, operam dabimus. Dn. D. Etmüllerus (cujus diſputatio de Morſu viperae jam communicata, gratisſima fuit, altera de Infuſoria Chirurgia ab ipſo Authore transmiſſa) Elsnero noſtro familiariſſimus, proxime invitabitur, & ubi titulum ſuſcepero, Schneebergenſem Phyſicum lubentisſime proximis nundinis invitabo, interim nuper transmiſſae leges communicari poterunt. Phyſicum in Moravia Dn. Hertodium a Todenfeld pariter in noſtra caſtra ſuſcepimus, qvi de morbis Moraviae & eorum cura paucis ab hinc ſeptimanis tractatum Viennae edi curavit. Sic in dies accreſcit Collegarum numerus, invigilabunt ergo reliqvi Dnn. Collegae, ut & ipſi invitationibus ſint freqventes in delectu Eruditorum. Interim qvaedam Tractatibus Tuis inſervientia ad-

 dere

dere volui, plura miſſurus, ſi temporis parſimonia liberalitatem debitam concederet; alia ſeqventur futuro tempore. Addidi Kornmannum de Miraculis Mortuorum, ſed ut idem Liber futuris nundinis Wratislaviam innoxius per Dn. Graumerum Mercatorem Annaebergenſem repetat, procurabis.

Liquorem refectivum nunc communicare nullus dubito, ne ulla parte Amicitiae noſtrae aliqvid detrahere videar.

Rec. Sp. Cinnam. cum vino parat. (non cum Spir. Vin.) rectificatiſſ. adde Ol. Juniper. (qvod ex virid. baccis absque fermentat. praeparat.) & Ol. Succin. digere per aliqvot dies, poſt deſtill. aliqvoties, donec optime unian- tur & Spiritus evadet pellucidus. Poſt Rec. Sal. volat. C. C. ab omni Oleo ſeparatum, digere, deſtilla, donec Sal iſtud cum Spiritu unitum ſit, & alembicum tranſierit. Denique Lapid. 5 pretioſ. in Spir. ſal. Comp. ſol. ad oleitatem evaporent, illis ſuprafunde Sp. iſtum Cinnam. impraegnatum, digere abſtrahe, cohoba, donec maxima pars alembicum tranſierit. Pecu-

Peculiare anti-hydropicum ſpecificum & melancholicum, quod omnibus Individuis quadret, inveniri poſſe, dubito, interim obſervata ſimul methodo medendi aperientia ſelectiora magnam ferunt operam. Ex his Spir. Terrae ſolaris non infimum capit locum, qvem communicare non dubito: Rec. Terr. Solar. p. III. Nitr. p. I. fiant globuli, pelle per Retortam terream igne lentiſſ. in einen vorgeſchlagenen Spir. Vin. ſed lente, & ne tota maſſa libram unam excedat: Poſt idem Spiritus pellitur per Retortam ſuper uncias duas Salis tartari, maxima fit ebullitio, adeo, ut Sp. per ſe in Recip. absque igne prodeant, altero die reliqvum igne pellitur. Optime obſtructiones reſerat. Plura nunc non addo, interim fauſtam Lucinam Gemellis Tuis partubus apprecor. An bina mea Epigrammata, quae bis fuerunt transmiſſa, ſuſceperis, inpoſterum ſignifices. Vale & me uti ſtrenue facis porro redamare ne ceſſa.

Uratislav. 6. Jul. 1669.

EPISTO-

EPISTOLA LI.

QVÆDAM DE ALOE SCHLIBENSI.

L. C. F. Garmanno
M. Georg Erdmann Voigt
JENA *CHEMNITIUM.*
S. D. P.

QUo animo, Vir Excellentiſſ. quave benevolentia erga meam ſis tenuitatem, perdoctum Tuum Carmen, quo Laureae meae ſplendorem ſane haud exiguum, ſed eximium, addidiſti, facile edocet. Gratias proinde, cum aliud pro eodem nunc exolvere non liceat, easque maximas ago ac refero, DEUM ſupplex implorans, ut devotum votum Carmini dicto annexum clementer audire & exaudire, atque viciſſim me mei voti, quod pro Tua incolumitate, felicitate, futuraque nova thori Tui Conſorte concipio, pro ſua benignitate compotem reddere atque damnare velit. Caeterum quod Plantam noſtram Aloen attinet, ſcias velim, in

in optima nunc flore eandem conſtitu-
tam eſſe, altitudo ejus excurrit viginti
pedes geometricos , ramos oſtendit
plus quam triginta , & in univerſum
flores quater mille ſexcentos & ampli-
us habet , cœtera pulcherrima planta
atque laudabilis. Locus ubi floret eſt
exiguus pagus, uno tantum lapide a no-
bis diſſitus, Schliben dictus , praeter
hunc hortum omnino inglorius. Plan-
tavit hortum hunc Nobilis ab Hesler
Chiliarcha qvidam, atque dictam plan-
tam decennalem apponi curavit; ger-
minavit ibi circiter annos 40. ut adeo
ejus duratio ſemi-Seculum vix excur-
rat. Tempus, quo caulem promiſe-
rit, ſcire cupis? Eſt dies 16. Martii hu-
jus anni, in quo nihil fragoris hortula-
nus animadvertit, neque etiam tam ſu-
bitam accretionem & augmentationem,
quam alias Autores plantae huic ad-
ſcribunt, inſuper & in ciſta terra refer-
ta floret, quod contra Elsholzium no-
tari velim, quamvis & hoc obſervave-
rim, quod ante annum terram plan-
tam foventem cum nova hortulanus
mutaverit. Nunc poſtquam flores con-
ſpi-

ſpicui facti ſunt, folia atque totus truncus marcet, rugasque concipit, haud incertus futurae corruptionis index. Atque haec ſunt, quae quidem de hac planta reſcire potui, Tibi vero, Vir Excell. reſcribere debui, ipſam effigiem additurus, modo pictoris defectus non obſtitiſſet. Interea eſt, cur Te maximopere orem, nolis ſcilicet vitio vertere, quod tam inconcinne ac minus eleganter ſcripſerim, velis hoc occupationibus meis, & nimiae tabellarii feſtinationi tribuere. Vale mihique fave.

Jenae, 12. Aug. 1669.

EPISTOLA LII.

RESPONSORIARUM; AMICA PETITIO.

L. Chriſtiano Friderico Garmanno

Joh. Laurent. Fehr / Med. Stud.

LIPSIA *CHEMNITIUM.*

S. D. O.

TUa me, Vir Excellentiſſ. veneranda

da Authoritas a ſcribendo facillime deterruiſſet, niſi me Parens meus ſuppeditata ſcribendi materia incitaſſet, nunc inſuper temporis opportunitas ad id tanto alacrius ſuſcipiendum invitaſſet: Per literas eqvidem, quas hiſce diebus a Parente meo accepi, cognovi, quod is praeteritis nundinis noſtris hyemalibus per Dn. Kirchnerum Bibliopolam faſciculum literarum ad Exc. V. miſerit; qvia vero hactenus nullum accepit reſponſum, ideoque an ille Exc. V. debito modo traditus ſit, ferme anceps haereat; ipſe qvidem a Dn. Kirchnero hujus rei certitudinem nuper volui explorare, dubio autem cum me a ſe rurſus dimiſerit animo, tanto magis ſum permotus, ut ipſam Exc. V. per literas ea de cauſa adeundam eſſe cenſuerim. Qvo itaque Parentis mei deſiderio aliquo modo ſatisfiat, ſepoſitis aliqvantiſper gravioribus, qvibus haud dubie plurimum diſtringitur, negotiis, ut Exc. V. haut gravatim vel gratificando ipſum Parentem meum, vel imperando me per literas ea de re certiorem faciat, obnixe peto, quod ipſum

&

& Parens meus officiorum atque ſtudiorum promtitudine, quacunque oblata occaſione, viciſſim demereri ſtudebit, & ipſe grato atque officioſo animo agnoſcam, meque ſemper talem, qualem eſſe conveniet, praeſtabo. Vale Vir Nobiliſſ. optime & fave.

Lipſiae, d. 9. Octobr. 1669.

EPISTOLA LIII.

ALOE SCHLIBENSIS. INFUSORIA. TERRA SCHMIDEBERGENSIS.

D. Joh. Danieli Majori

L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *KILONIUM.*

S. D. P.

TE meas nuperis nundinis ad Te datas accepiſſe, nullus dubito, cur vero reſponſoriae ad illas & aliquot ad Te hactenus exaratas nullae remearint, tam facile conjecturare non poſſum. Sine dubio ad altiora arduus negotiorum cumulus Te traxit, ut levidenſibus meis hactenus vacare

care non potueris. Qvicqvid ſit, ne ullam Te compellandi occaſionem praetermittere videar, data hac per Amicum oportunitate ad officium redire volui: Oblatus mihi nuper ab Amico Tuus de Aloe Veſtra tractatus, qvi Noſtrae in Thuringia mihi revocavit memoriam. Exſucca jam illa deprehenditur ac deflorata, poſtqvam floribus ſine numero ſe fecit admirandam. Altitudo pedes viginti Geometricos exaeqvat. Caulem emiſit ſine fragore, ſecus ut obſervavit Borellus, nec terrae firmae concredita, qvod qvidem ſemper reqvirit Elsholzius, in tantam excrevit vaſtitatem. Iconem propediem ab Amicis expecto, cur vero Tuae figura, ad qvam tamen provocas, tractatui non ſit addita, haereo, ſi apud Te ejusdem adhuc latet Exemplar, per latores ad me commode poterit transferri.

Infuſoriam Tuam hactenus nullus aegrorum meorum admittere voluit, quid vero poſſit, teſtantur apud Elsholzium Gedanenſes. Curioſitatis gratia nuper mercurium vivum Cani infudi,

ſine ullo incommodo,ut qvosdam Mercurium ſine noxa geſtare potuiſſe in venis fluctuantem, qvod Phoſphorus noſter ex aliis notavit, facile perſvaderi mihi patior. In Plantis transfuſoriam locum habere poſſe nuper ad Phoſphorum noſtrum ſcripſi. In Terra prope Schmidebergam flammas eructante Vitrioli calcinati copiam nuper deprehendi. Rubri eſt coloris, ex parte bituminoſa, cinis eundem cum eo, qvem Veſuvius eructat, ſpirat odorem. Vale, Vir Nobilisſime, mihique ſerio favere perge.

Chemnitii, d. 12. Octobr. 1669.

EPISTOLA LIV.

CONJUGIS OBITUS. LEMMA CURIOSORUM. EPHEMERIDES. ALOE SCHLIBENSIS.

D. Joh. Michaeli Fehrio
L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *SVINFURTUM*

S. D. P.

ACcepi Tuas, Vir colendiſſ. praeteritis

ritis nundinis Lipſienſibus ad me exaratas, meas etiam Norinbergam miſſas eodem tempore Te accepiſſe ſpero. Gratisſimae autem mihi fuere, cum ob ſingularem favorem, qvem ubique vibrabant, tum ob adjunctas plantarum monſtroſitates opuſculo meo ob raritatem decori futuras. Qvod vero hactenus nullum gratitudinis repoſuerim indicium, ne literis qvidem, id ne aegre feras, Vir Magnifice, enixe rogo. Praxis partim obſtitit, fatique cumprimis acerbitas omnem crenae ſurripuit fluorem ac violenta revulſione, ut ad oculos vergeret, effecit. Planius dicam, Conjugium, pro qvo in nuperis vota faciebas amica, vix contractum, mortis ſolvit truculentia. Qvam 24. Auguſti elapſi dederat vitae conſortem, 20. April. vertentis anni iterum abſtulit. Vides jacturam, & inde in luctum pronum animum facile conjicies. Luctui vero & Muſis vacare quam difficile ſiet, qvis eſt, qui neſcit. Ipſe ſane ad ſtudia animum adhuc nondum applicaſſem, niſi Nobilisſimi Phoſphori noſtri ſaepius ad me datae ani-

mo veternum excusſiſſent, cumprimi postremae, quae nova Academiae no ſtrae ſtatuta incluſa geſtarunt. His & V. Magnif. accedunt, nuperaeque No biliſſ. Tui filii Lipſiae jam Muſis litan tis, qui ut Dn. Parentis veſtigia pre mat, ipſique decori ſit aliquando, ani mitus voveo. Qvod ſtatuta renovata ſpectat, ea mihi perplacuere, quidqu pro tenuitate mea de illis ſentiam, No biliſſ. Dn. Phoſphoro aperui. Sigil lum aut Emblema, ne ſine lemmate ſi monui. Ab otioſa noſtra ut diſcerna tur Curioſitas & ſolertia futuris incul cetur Collegis, darem illud: Animu Curiosus nunquam Otiosus. Se haec obiter. Ephemerides ut publi cum videant, ſummopere erit anniten dum. Sic enim numerus ut Dnn. Col legarum creſcat, Collegii autoritas ado leſcat, Curioſorumque ad varia expe rimenta facienda inſtigetur induſtria commodiſſimam tenebimus viam. Pr Vernalibus Nundinis Vos easdem appa rare Dn. Phoſphorus in nuperrimi notavit, utque hactenus obſervata & ab aliis communicata transmitterem

monuit

monuit. Mittam earundem partem cumprimis qvaedam de inſectis prope-diem Veſtrae Magnif. qvaedam de Metallis & mineralibus Exc. Dn. D. Schmidio, qvem amice & honorifice ſaluto, Botanica vero Dn. Phoſphoro, & qvid de hac vel illa materia ſentiatis, amice & obſervanter Vos compellabo.

De Aloe Jenenſi, aut potius Schliebenſi (nam in pago Schlieben in horto Chiliarchi ab Hesler crevit) haec addo: Decennalis horto illata fuit, germinavit ibidem circiter annos qvadraginta, ut adeo ejus duratio ſemi-Seculum vix excurrat. Caulem promiſit vertentis anni die 16. Martii, ſine fragore, qvod perpetuitatem obſervationis Borellianae evertit, neqve momentaneum augmentum, qvod alii volunt & notarunt etiam in Gottorpienſi noſter Heſperus, hortulanus deprehendit. Non terrae firmae, ſed ligneae ciſtae concredita, quod contra Elsholzii mentem floruit. Hoc tamen notandum, qvod ante annum terram plantam hanc foventem cum nova mutaverit hortulanus. Altitudo ejus pedes viginti geo-

metricos excurrit, ramos oſtendit plus quam triginta, flores 4600. & amplius. Menſe Auguſto truncus rugas contrahere incepit, ſenſimque Regia illa planta marcore contabuit. Ignis ſubterraneus Schmidebergenſis ſine dubio vobis etiam innotuit, cujus hiſtoriam & terram ignem concipientem, ſi deſiderabit V. Magnif. propediem transmittam. Interim ut ad votum valeat diu & ſenecta ſine Senio fruatur DEUM precor.

Chemnicii, Cal. Novembr.
1669.

P. S. Si Aloes Stutgardienſis Figura aeri inciſa, ut & Roſae Altenburgenſis a B. Zephyro evulgata in V. Magnif. rarithecio latet, ut & raris & monſtroſis meis plantis addatur, communicationem earundem peto, easdem grata mente remiſſurus.

EPISTO-

EPISTOLA LV.

RESPONSORIA AD EPISTOL. LII.

L. C. F. Garmannus
Joh. Laurent. Fehrio

CHEMNICIO *LIPSIAM.*

S. P. D.

GRatiſſimum mihi fuit ex literis tuis Dn. Parentis Tui conſtantem adhuc favorem erga me percipere. Inde cum officii & amicitiae noſtrae ratio flagitet literario commercio hunc affectum ventilare, literas his incluſas Tibi transmitto, quae ut ad Dn. Parentem proxima occaſione properent, procurabis. Interim ut paterno incitatus Exemplo ſevere noſtrae lites arti, ſvaſor Tibi ſum, tuosque Praeceptores Lipſiae, a qvorum inſtitutione etiam olim pependi, viros doctos & induſtrios ſedulo audias moneo. Svave onus ſeqvetur honos, totque vigilatas Proſerpinas aureus Apollo. Crebrioribus literis ut me inpoſterum compelles,

les, & ſi qvid novum & curioſum pariat Veſtra Philuraea, communices opto. Id ut valeas Vale.

Chemnitii, ipſis Cal. Novembr. 1669.

EPISTOLA LVI.

NOVORUM COLLEGARUM RECEPTIO. EPHEMERIDES. QVÆDAM DE BURRHO.

D. Philipp-Jacob-Sachſius a Lewenheim

L. C. F. Garmanno

URATISLAVIA CHEMNITIUM.

S. D.

GRatiſſimae Tuae literae menſe Januarii hujus anni exaratae, omnes tenebroſas nubes diſcuſſerunt inſtar lucidiſſimi Solis, ut ſerenata mente ad tam laetum nuncium de optima gratiſſimi Amici valetudine exultaverim. DEUS Te ſervet in longisſimos vitae terminos in Tuorum & Collegii noſtri emolumentum. Collegium noſtrum Lunae globo ſubjacet; ad eundem modum & incrementa & decrementa capit.

pit. D. Grabae morte illatam noxam ſenſimus multiplici fœnore redintegratam, nam & hic Uratislaviae D. Vollgnadius, D. Jaeniſius, D. Elſnerus egregii Viri acceſſerunt (cum qvibus Triumviris initium fecimus colligendarum Ephemeridum) his ſe adjunxerunt Brinnae in Moravia D. Herſtodius Vir maxime curioſus, Viennae D. Jungius ex Collegio Medico Viennenſi, ille Crocologiam, hic Haematologiam propediem editurus; Lipſiae D. Etmüllerus; ſvaſu D. Petri hiſce nundinis invitavi D. Zapfium Phyſ. Vinarienſem, & pro Tua amica admonitione his incluſis D. Makium. Pergite, o Chariſſimi Collegae, in invitandis qvoqve aliis, ſtrenue nobis communicando rariora, cum jam alea jacta ſit, & famam ulteriorem apud exteros conciliabitis Collegio, & pluribus maximum commodum. Specimen Ephemeridum edendarum his cape, & qvidem tria Exemplaria, qvae inter fratrem Tuum Arnſtadi viventem & Makium divides. Prodibit ſequentibus nundinis integer Annus primus, & qvidem in forma

quarta cum typis aeneis, cum jam plurimae obſervationes undique ſint communicatae, & partim jam ſub prelo ſudent. Scholia prioribus binis obſervationibus addidi, non omnibus eadem addentur, ſed ſaltem ubi per analoga exempla obſervatio poſſit illuſtrari.

Quare Vir Excell. ut praeter bina Tua Curioſisſima Opuſcula, quae hiſce nundinis manumittere promiſiſti, praeter Picam & Corylum Curioſum, quae pariter olim promiſſa fuerunt, raris quibusdam Obſervationibus vel Botanicis, vel Practicis vel Anatomicis ſymbolum conferas pro augendis Ephemeridibus, illudque ad me Uratislaviam transmittas enixe rogo, nam cum a Dn. Praeſide noſtro Collegis Uratislavienſibus demandata primi anni Ephemeridum edendarum cura, neceſſarium, ut obſervationes huc dirigantur Ephemeridibus inſerendae. Exemplar Tuorum Opuſculorum expecto ex Tua liberalitate non minus qvam reducem *Kornmannum* per Graumerum Annaebergenſem ad nundinas Uratislav. circa feſtum S. Johannis proficiſcen-

ſcentem. Ultra ſeptuaginta Obſervationes; in quibus varii rari caſus, jam collectae ſunt, ſingulis ſeptimanis novae accedunt, ut initium quod alias admodum grave, optime ſuccedat,& hinc inde applauſum mereatur.

Veſtrum tamen erit, o Collegae ſvaviſſimi, in communicandis & colligendis ſuccenturiatam afferre operam, ut oneri ferendo ſimus pares, itaque & Dn. Fratrem & alios amicos hoc de negotio amplius ſollicitabis. Seqventibus Nundinis Autumnalibus prodibunt ſeorſim novae Leges auctae cum Catalogo Dnn. Collegarum; ſi quaedam adhuc in iis emendanda videantur, amice moneas, & quantocyus reſcribas.

Heri a D. Hertodio & D. Ardenſtachio Medicis in Moravia degentibus literis ſignificatum, famoſum Burrhum e Dania cum duobus ſociis profugum Moraviam latente nomine, cum ſe Boas vocaret, intraſſe. Ubi Gœdingam venit, viam quaeſivit, quae duceret in Arcem nunc Turcico praeſidio munitam Neuheuſel. Res incolis ſuſpecta, homi-

hominem in vincla conjiciunt, & facto ſcrutinio vident Burrhum ſub hac larva latere, inde civilius habitus eſt, ſed cum in loci Capitaneum tormentum explodere, & fuga ſibi ſalutem quaerere vellet, rurſus receptus compedes tolerare coactus eſt, quorum impatiens, dicitur venenum ſumſiſſe, ut, an adhuc vivat, dubia res ſit. Eventum proxima poſta ſignificabunt dicti Dnn. Medici. Quam tragicam ſentit Cataſtrophen impoſtoris hujus vita! Alii diſcant cautius mercari. Vale interim & fave.

Uratislaviae 24. April. 1670.

EPISTOLA LVII.

CONSILIUM ANTHYPOCHONDRIACUM.

L. C. F. Garmannus

M. Georg-Erdmanno Voigten.

CHEMNITIO *JENAM.*

S. D.

ACcepi tuas a Parente demum 19. hujus, quas 18. Decembr. elapſi anni

anni ad me exaraveras. Infirmitates ſtomachi, de qvibus ſcribis, cruditatibus in ejus cavitate collectis ſuam debent ſcaturiginem, & omiſſam praeterito autumno efflagitant Venae ſectionem & evacuationem. Accedit vita ſedentaria, qua praeter modum delectaris, valido impetu Muſas ambiens; In teporem verteretur ſuaderem ex parte iſte fervor, motuque crebriori ſolareres inter ſtudia ſenſim tabeſcentem ſanitatem. Ipſe Cynthius aures vellicat, quando dictitat:

Amant alterna Camœnae.

Muſarum ergo ſtudio ſanitatis adjungas velim curam. Medicamenta quae expetis, adjuncta accipies. Aqua Cinamomi fragrans, & vinum abſynthites ventriculo robur addent & nervum, ſi ante prandium hauriantur, aut poſt cœnam. A cibo motum iterum inculco ſanitatis promum condum. Lucubrationes quid obſint ventriculo alias debili, facile poteris hariolari. Pro transmiſſis Diſputationibus Medicis debitas ſolvo grates. Quae in Phyſicis diſputantur, ut juxtim mittas, opto, Synopſin Mathe-

Mathematicum Weigelii Dn. M. Angelo transmiſſam nuper evolvi. Placent inventa adjuncta, quorum copiam & delineationem ſi te parario obtinere poſſem, multum me tibi obſtrictum redderes. Vale.

Chemnitii, d. 28. Jan. 1670.

EPISTOLA LVIII.

AMICA RESPONSORIARUM D. SACHSII PETITIO.

D. Michael Etmüllerus

L. C. F. Garmanno

LIPSIA *CHEMNITIUM.*

S. D. P.

UT incognitus licet importunis hiſce meis Te compellem, audacem me reddit Ampliſſimi Dn. Sachſii ſolicitudo, qui diuturna literarum Tuarum expectatione confectus, non parum eſt anxius de Excell. T. rerum ſtatu, dubitans ne inſveta taciturnitas, triſtis forſan nuncii futura ſit Prodromus. Sed merito mitiora fata expectan-

ctanda ab eo, cui tota Curioſorum cohors Neſtoreos animitus precatur annos. Sin ergo, quod ſuſpicor internunciorum rarior tranſitus literarum cum Domino Sachſio commercium impediat, en qualia qualia mea Tibi in promptu ſunt ſervitia, quibus ut in qualibet, ita in ſpecie in hac occaſione ero obſequentisſimus, cum haec votorum meorum ſit ſumma, de E. T. bene mereri, ejusdemque non vulgarem ambire amicitiam, vix dulcius quid aeſtimans, quam cum Eruditis eandem inire. Vale, Amplisſime Vir, & me Te amantem redama.

Lipſiae, d. 10. Decembr. 1669.

EPISTOLA LIX.

OPUSCULORUM MENTIO. DE THERMARUM PROBATIONE PROBLEMA, SALVE ACADEMICUM.

D. Michaeli Etmüllero
L. C. F. Garmann
CHEMNITIO *LIPSIAM.*
S. D.

BEne ſit Nobilisſ. Noſtro Sachſio, quo

quo parario Tuam, Vir clariſſime, merui amicitiam diu deſideratam, exoptatam diu. Sane ab eo tempore, quo Artem noſtram ſaltem ambire didici, nihil mihi unquam gratius accidere potuit, quam literarum commercio tui ſimiles, h. e. doctos, curioſos, & in Arte noſtra verſatiſſimos mihi comparare fautores amicos, reciprocaque ſcriptione mutuum ventilare affectum. Facile hinc colligere poteris, quantopere Tuis affectus fuerim, adeo, ut nihil in illis diſplicuerit quam brevitas. Quae hactenus in officio ſegniorem ſolito me reddiderunt, luctus partim fuit, qui ob dulciſſimae Vitae & thori Conſortis obitum, animo nondum excidit, partim creberrimae aegrotorum interpellationes, quae ut ſcis quo minus ſui juris eſſe poſſit Medicus, aliisque ad votum vacare, ſaepius prohibent. Accedunt his opuſcula mea erudito orbi dudum promiſſa, quorum unum miracula mortuorum excutiet, alterum Plantarum monſtroſitates ventilabit, quae & ſibi aliquam temporis partem vendicarunt. Tu, quem ſcio curioſis

rioſis teneri, ut σκιαγραφίαν aliquam & praeguſtum curioſarum mearum ineptiarum habeas, titulorum ſeriem addidi, quod ut boni conſulas, & ſi quid e penu experientiae Tuae iisdem accedere poterit, ne mihi invideas opto. Inſeram meis cum honorifica Clarisſimi Tui nominis mentione, ut Te in ingratum aliqvid contuliſſe, non habeas quod conqueraris. Prodibit etiam hic Chemnitii Martini Panſae de Thermis Annaebergenſibus Germanicus Commentariolus, cum notis & animadverſionibus meis a multis diu expetitus. Edidit de eodem fonte olim tractatum Scheunemannus cui titulus Hydromantia Paracelſica fontis Annaebergenſis, quem tamen hactenus nullibi offendere potui. In veſtris vero Bibliothecis eundem latitare, ut nullus dubito, ita ut ſi forte in tua non haereat, in qua tandem proſtet curioſe inqviras, mihique ad paucorum dierum uſuram transmittas, obnixe rogo. Interpretabor id ingenui affectus nobile argumentum, ſique in ſimilibus & aliis vicisſim Tibi gratificari potero, nullo

R non

non tempore me experieris promtiſſimum. Quid vero Tu, Vir Clariſſime, de Thermarum probatione ? Spiritus iſti minerales cum ſint ſanitatis operatores, anne per praecipitationem aut aliud vinculum ita poterunt figi, ut corporei appareant, cujusve mineralis ſint progenies, accurate demonſtrari? Titubantem experientia Tua quaeſo fulcias, qvaeve de hoc tua mens, propediem pluribus diducere non graveris. Tibi ſagax Natura dedit ingenium, cum profundo judicio. Natus es, ut Naturae explores veſtigia; Naturam ut Erudito Orbi explicatam ſiſtas, natus es. Id ut commodius expedias, age Nobis Te adjunge, Curioſoque noſtro Collegio Nomen da & Sacramentum. Voti haec mei ſumma jam dudum fuit, ut literae ad Nobiliſſ. Sachſium datae teſtabuntur, voto vota addidere laudatus Sachſius cum Magnifico noſtro Fehrio. En campum, qui Te ſtrenuum expectat bellatorem. Hunc ut ingrediaris Naturae Genius aurem vellicat, praeſto eſt laurea, celebres Te expectant triumphi. Ut igitur Collegam

gam Te propediem ſalutemus, quem Amicum exoſculamur, deſideramus. Vale Vir Ampliſſ. meque ſerio amare perge.

Chemnicii d. 10.
Jan. 1670.

EPISTOLA LX.

THERMARUM PER PRÆCIPITATIONEM PROBATIO REJICITUR. PLANTÆ MONSTROSÆ. DE PLANTIS PHANTASTICIS ET OPIO. INSECTA E PLANTIS.

D. Michael Etmullerus
L. C. F. Garmanno
LIPSIA *CHEMNICIUM.*
S. D. P.

QUod literis Tuis amiciſſimis nullum remiſerim Echo, ne tepeſcentis hibernis hiſce rigoribus in Te affectus mei interpreteris ſignum, qvin potius hic ipſe eo magis exarſit, quo uberiorem gratiſſimae Tuae ſubminiſtrarunt fomitem: ſed ſedula inquiſitio HydromantiaeScheunemannianae nuſpiam, neque in inſtructioribus no-

ſtris bibliothecis, neque in locupletioribus Bibliopolarum officinis inventae, remoram hactenus calamo injecit. Doleo ſane imparem hac in parte, me eſſe meo debito, quem tamen defectum alia occaſione pro virili reſtituam.

Thermarum probationes per praecipitationis modum inſtitui poſſe, ita, ut genuina earum principia mineralia, aqveo tegmine velata exinde posſint in apertum produci, vix mihi perſvadeo. Cum enim per modum efferveſcentiae ſalium mineralium cum venis minerarum, in ſpecie metallicarum, generari videantur thermae, ſane in iſta efferveſcentia ex reciproca actione & mutuo concurſu & agens & patiens inſigniter alterari, & utrumque non leviter immutari, novumque ita productum in aquis thermarum ex utrisque compoſitum generari videtur; ita ut licet inſtituatur praecipitatio quaedam artificioſa, tamen praecipitata non in forma nativa, aut natura propria, ſed potius ex concurſu nova induta larva apparitura ſint: adhaec omnes praecipitationes cum fiant additione

cujus-

cujusdam tertii, quod vel praecipitandae rei ſe jungendo eam ad fundum trahit, vel liquori continenti ſe uniendo praecipitatum ejus poris extrudit, ſane utroque in caſu per tertium praecipitans & liquor continens & praecipitatum ipſum nova facta unione cum praecipitante, novo producto a nativa facie multum diverſo, ſenſibus denuo illudet: adeo ut pro levi mea opinione exiſtimem, aquarum mineralium per praecipitationem aut alio quodam tertio adjecto factam probationem, eſſe fallacem, quia ex tertio cum prioribus unito, nova entia ſenſibus imponunt. Sed hae conjecturae ſunt meae, Tuae rationi & experientiae ad approbandum aut rejiciendum expoſitae. De caetero avide expecto ſpecimina Clar. T. Curioſa de Plantis Monſtroſis & miraculis mortuorum, eo gratiora, quo magis egeſtatem meam in talibus profiteor. Interim vidiſſe me memini in horto paterno aliquoties nonnulla plantarum monſtra, ex plurium caulium coalitu inprimis pronata. Sic erat Corona Imperialis, ſimilis quodam-

 modo

modo iſti, quam *Bauhinus Hiſtor. Plantar. T. 2. l. 19. p. m. 699.* depingit: caulis ejus juxta terram quodammodo bifidus, quatuor digitorum transverſorum erat latitudinis, craſſitie unius digiti , fœtura foliorum & florum erat laetiſſima , dum flores 30. numerum excederent, ita ut vix commode juxta ſe invicem haerere poſſint. Simile monſtrum obſervavi in Heſperide flore albo odorato vulgo, alias Dodonaeo inprimis, Viola matronalis dicta, quam etiam inter curioſiora herbarii mei vivi adhuc aſſervo: propullulabat hujus caulis ad inſignem altitudinem , ſimiliter fere quatuor digitorum transverſorum latitudinis, craſſitiei juſtae, copioſo foliorum comitatu ſpectabilis, cujus ſummitas in copioſos ramuſculos late diviſa, innumerabilem florum juſti coloris, odoris & magnitudinis exercitum exhibebat. Aſſervo quoque Tulipam flore luteo , caulis nonnihil ſolito craſſioris , duplici foliorum in flore ordine ſtipatam , ita ut duodecim numerari poſſint folia : adeo ut aeſtimem tam Tulipam flore pleno,

quam

quam lilium album flore pleno, eſſe ſimiliter fœtus monſtroſos, unde & non niſi raro admodũ ad juſtam figurae aut coloris repraeſentationem perveniunt. Sed quid dicendum de Caryophyllis colores mutantes, & in mutatione ad aliquot annos conſtanter perſeverantes? an & hi ſunt monſtra? Obſervavi ſaepius caryophyllos majores flore albo & rubro, item flore albo & carneo tuliſſe ex eodem frutice, diverſis ſuper ramis, in uno legitimos variegatos flores, in altero vero totos rubros, vel etiam totos carneos, interdum etiam unum eundemque florem, adeo exacte diviſum, ut altera medietas exacte albicet, altera autem ſangvinea tinctura rutilet, & quidem ſi ramus ſte ſingularis iſta floris varietate conſpicuus, ſeparatim ab aliis per certum n vaſculis exilibus, fiſſo leviter juxta originem ramuſculo, ramuſculos prolucendi modum, in novam plantam matre diſtinctam cogatur, hic recens œtus, & multi ejus poſteri ad aliquot nnos iſtum colorem variatum, v. g. otum rubrum, pertinaciter tuebuntur, lonec tandem horum unus denuo flo-

 rem

rem atavo proprium, nempe album & rubrum nova mutatione conſtantem proferat, reliqvis fratribus ſuam conſtantiam ſervantibus. Sed haec de monſtris ſatis, quoad plantas phantaſticas, i. e. ut ego interpretor imaginationem perturbantes, nota dubio procul erunt ea, quae habet *Dôringius tr. de Opio :* ubi nonnullorum remediorum vegetabilium certo modo imaginationem afficientium, mentionem facit. Memini hac occaſione, me praeſente, Pariſiis in qvodam Curioſorum conventu, quos Conferentias vocant: quaeſtionem hanc ventilatam, non vero deciſam fuiſſe, quare Opium copioſius aſſumtum, Orientalibus, Turcis, Ægyptiis, Indis, ſomnia hilaria, quaſi in viridariis aliisque jucundis locis, imo in Paradiſo verſentur, conciliet, nobis vero Chriſtianis Occidentalioribus & Borealibus ſomnia turbulenta, terrifica, & quaſi a Daemonibus vexaremur, repraeſentare faciat. Quoad inſecta ex plantis, curioſum erat videre Romae apud Jlluſtr. Corvinum, exacta curioſitate ab eo ob-

ſer-

ſervatum, ex ſingulis horti ſui copioſis plantis inſigniter inſtructi, corruptis & putrefactis plantarum ſpeciebus certos, vermiculos & eruculas, ſemper eodem habitu, neceſſaria quaſi lege, prodiiſſe, qvorum inſignem varietatem, una cum plantis propria manu accurate depictam nobis exhibuit. Sed ecce plantarum monſtroſarum occaſione, monſtroſam ipſemet exaro epiſtolam, deſecandae ergo luxuriantes frondes, ne nimia ubertate moleſtiam T. E. creent, modo gratias prius dixerim decentes pro benevolentiſſima ad Collegium Curioſum invitatione, cui jam ante, vellicante aurem Domino Sachſio, nomen dedi. Vale ergo, Vir Clariſſime, & me Tibi addictisſimum amare perge.

Lipſiae, d. 8. Febr.
1670.

EPISTOLA LXI.

DISSERTATIONIS DE VIA SABBATHI DEDICATIO.

L. Chriſtiano Friderico Garmanno

M. Georg. Erdm. Voigt

JENA *CHEMNICIUM.*

S. D. O.

MUltae quidem rationes mihi ſuppetunt, Vir Excell. cur praeſentem Diſputationem inter alia etiam Nomini Tuo Clariſſimo inſcripſerim, quas hic numerare omnes nunc non poſſum, neque etiam volo. Unicum illud, quod cura Tua medicaque ope aliquoties convalui, ſatis teſtabitur, longe plura, quam officiolum hoc eſt, me debere, quin totum Tibi obſtrictum eſſe, quem tam feliciter ſuſtentaſti. Parum enim aberat, quin idem nuper fatum inciderem, quod ante duos annos tantum non ad incitas me adegiſſe novis, ſed tamen Numinis inprimis gratia & auxilio atque Tua medela

dela recte conſervatus ſum. Nihil er-
go me magis nunc decet, quam aeter-
no DEO gratias immortales; Tibi au-
tem ſoteria exolvere. Quod ſi enim
qui in fluctuoſo mari diu periclitatus
eſt, atque terram nunc tenet, littora-
libus Diis vota nuncupat, hoſtiasque
immolans ſacra facit; quid ni ego gra-
viſſimo diſcrimine ereptus, ſoſpitato-
ribus meis gratias, animique grati do-
na, maxime cum potiori hoſtimento
deſtituar, offeram? Accipe igitur hoc,
quicquid eſt muneris, manu benevola,
teſtemque reputa, plura me debere,
quam unquam ſim exſoluturus. Caete-
rum de valetudine nunc non eſt, ut
conquerar, niſi quod interdum flatuum
copia inteſtina nonnihil infeſtentur,
hinc ut obſtructionibus inde metuen-
dis occurram, non intermitto corpus
frequenter commovere, contra ſtudia
DEO & natura ita monentibus) re-
miſſius tractare, ſemper mecum repu-
tans, melius eſſe ſanum modicum ſa-
pere, quam ſapientem multum aegro-
tare. Kornmannum a Bibliopola ſine
dubio anxie deſideras, ſed nec Franco-

furti,

furti, nec Lipſiae dicitur venalis eſſe. Hinc ille integrum relinquit, num pro ſoluta pecunia E. T. alterius generis ſcripta, vel ipſa a miniſtro ejus Chemnitium futuris nundinis accedente accipere, vel per me ea hic depoſcere velit, ſe promtum fore in exhibendo. Praeterea nunc nihil occurrit, quod exhibere aut ſignificare poſſim, niſi diſputatio de Aloe, nec non deſcriptio Globorum cœleſtis & terreſtris, quos nunc parat Excellentiſſ. Weigelius noſter. Vale, & ulteriori favore ac benevolentia me proſequi non deſiſte.

Jenae, d. 28. Maji, 1670.

EPISTOLA LXII.

RAPA MONSTROSA. S. CÆS. MAJ. IN COLLEG. CURIOSUM GRATIA.

D. Philipp-Jacob-Sachſius a Lewenheim

L. C. F. Garmanno

URATISLAVIA *CHEMNICIUM.*

S. D.

MIror tam rarum literarum commerci-

mercium inter nos. Ad eas, quas
nundinis Lipſienſibus miſeram, nullae
remigrarunt reſponſoriae, ni Schnee-
bergenſes intra aliquot dies ad nundi-
nas Uratislavienſes proficiſcentes, cum
Kornmanno meo ante annum miſſo,
eas perferant. Nec Gemelli Tui Cu-
rioſi fœtus lucem viderunt publicam,
expetiti tamen a plurimis. Urgeo ita-
que ne ultra debitum tempus geſten-
tur amabiliſſimi fœtus. Citavi tra-
ctatum de plantis monſtroſis in Ephe-
meridibus noſtris, ubi obſervatio eſt
de Rapa quadam monſtroſa, corpus
fœmininum exacte referente, Et hu-
jus rapae occaſione, quae depicta Vi-
ennam fuit miſſa, tantam meruimus a-
pud S. Caeſ. Maj. gratiam, ut non ſo-
lum ſpecimen primi Anni Ephemeri-
dum una cum Epiſtol. Invitatoria Ipſa-
met perlegerit, ſed & Archiatris ſuis
commendaverit, & gratisſimum fore
pronunciaverit, ſi Primus Annus Ipſi
dedicaretur. Haec ex literis Viri Ma-
gni, qui haec verba ex ore S. Caeſ. Maj.
hauſit, & Exemplar a me miſſum ob-
tulerat. Indulſit etiam, ſi quid rari
Natu-

Naturalis in Theſauro eſſet Caeſareo, ut a Chalcographo Caeſareo in aes incideretur, & noſtris Germ. Ephemeridibus inſerendum communicaretur. Quare cum hac clementia extraordinaria freti, Collegium & ſimul hic labor Ephemeridum optime ſibi ſperare poſſit, obteſtor omnes & ſingulos Dnn. Collegas, ut fronte capillatam occaſionem ambabus ampleċtantur manibus, & conſilia non minus de ſtabiliendo Collegio, quam Curioſiſſimarum Rerum Naturalium communicatione nobiſcum conferant, ut ſcriptum iſtud non indecorum futurum ſit ad fulgorem oculorum tantae Majeſtatis. Tu Vir Excell. qui haċtenus maximo prae reliquis flagraſti Curioſarum novitatum ſtudio, quantocyus ſymbola Tua cum aliis in vicinia degentibus Medicis colleċta confer, & nobis transmitte, imo & Schneebergenſis Phyſici, quem commendaſti, reſponſionem ad meas priores. XXI. Obſervationes jam ſudant ſub prelo, ad centum hinc inde communicatae diſpoſitionem aliquam adhuc expeċtant, reliquis ſubjungendae.

Catalo-

Catalogum priorum his incluſum habe: rariora tamen nondum ſunt hic ſignata. Vale interim, & ſuccenturiato labore nobis aſſiſte. Reſponſoriae ſi non ſtatim recta Uratislaviam, tamen Dreſdam aut Lipſiam transmittantur, ad Mercatorem Buhl Lipſiae habitantem in Briel/ a quo certo accipiam.

Uratislav. d. 24. Jun. 1670.

EPISTOLA LXIII.
EJUSDEM FERE CUM PRÆCEDENTE ARGUMENTI.

D. Valent. Andr. Mollenbroccio

L. C. F. Garmann

CHEMNICIO *HAL. SAXON.*

S. D. P.

PAuca tecum hactenus, Vir Excell. ad meas dudum transmiſſas reſponſionem dum praeſtolor. Jam data occaſione ad officium redeundum eſſe putavi, aurem cumprimis Phoſphoro Novo vellicante. Scilicet ille totus in eo eſt, ut Collegii noſtri fama & autoritas totum pervolet orbem & aeternitati nubat

nubat intimius. Inde Epiſtolam Invi-
tatoriam typis excuſam Te accepiſſ
cum nullus dubitem, una cum Ephe-
meridum promulſide, ut & a Tuae ex-
perientiae ſplendore immortale ſibi mu-
tuent jubar, Vir Excell. deſiderat. T
ergo & hic Virum praeſtes, Tuasqu
raras cum Theoreticas, tum practica
Obſervationes Wratislaviam transmit
tas, optamus, precamur. Miſit nupe
Nobiliſſ. Noſter Phoſphorus Iconem
Rapae monſtroſae corpus fœmininum
exacte referentis, una cum Epiſtola In-
vitatoria Viennam, quo tantam apud
S. Caeſ. Majeſt. meruit gratiam, ut E-
piſtolam cum primo ſpecimine perle-
gerit Ipſamet, ut & pronunciarit, gra-
tiſſimum Sibi futurum, ſi primus annu
Ipſi dedicaretur. Indulſit inſuper, ſi
quid rari Naturalis in Theſauro eſſe
Caeſareo, ut a Chalcographo Caeſareo
in aes incideretur, & noſtris Ephemer
inſerendum communicaretur. En pro-
pitium noſtris inceptis Jovem! Illi ergo
ſacrificandum, Illi litandum erit no-
ſtra induſtria & curioſitate. Haec ad
aeternitatem via, caetera fumus, nihil

Excu-

Excuſarum obſervationum numerum & titulos adjungo, ut & inter illas nomen Pegaſi legatur, ſperamus. Vale.

Chemnic. 24. Junii, 1670.

EPISTOLA LXIV.

BREVIS AD PRÆCEDENTEM RESPONSORIA.

D. Valentin. Andr. Möllenbroccii

HAL. SAXON. CHEMNITIUM.

Diuturni mei ſilentii cauſa vix enarranda negotia fuere, quae & tuas pene impediviſſent literas, brevibus ergo ad tuas reſpondeo. Amicum Sachſium & mihi epiſtolam Invitatoriam transmiſiſſe, ſimulque de S. C. M. Gratia in noſtrum Collegium me certiorem feciſſe, ac Catalogum Obſervationum excuſarum mihi aperuiſſe. Laetor ex animo de tanto Collegii noſtri progreſſu, nobisque gratulor, nihil, quod ad Collegii incrementum facit, omiſſurus, Tu, Vir Excell. & Tua erudita opera Sachſii noſtri conqve-

 rentis

rentis de Fundatorum Collegii negligentia immenſos labores ſublevare, & favere perge.

Hal, Saxon. 8. Julii, 1670.

Ante aliquot ſeptimanas ſeptem Obſervationes communicavi, jam plures expedio.

Obſervationes eruditisſimae de Scorbuto & Arthritide vaga optime mihi placuerunt, gratias ago pro his ingentes, Tui honorificam c. D. mentionem facturus.

EPISTOLA LXV.

DE COLLEGII CURIOSI FELICI PROGRESSU, ET TRANSMISSIS OBSERVATIONIBUS.

D. Philipp-Jacob-Sachſius
a Lewenheim
L. C. F. Garmanno
URATISLAV. *CHEMNITIUM.*
S. P. D.

LOngisſimas expectaveram a Te literas poſt aliquot menſium famem; breviuſculae iſtae literae eandem vix ſedare

ſedare potuerunt. Interim ſat multa brevibus incluſiſti, dum & a Caſtore Tuo, & a D. Makio, & Reſponſorias & Obſervationes una cum Tuis Ephemeridibus inſerendas promiſiſti, utinam prima data occaſione id fieret. Fronte capillatam jam tenemus occaſionem, recommendatur ab Jlluſtribus Perſonis S. C. M. noſtrum Collegium, transmiſſa fuit Epiſtola Invitatoria, quam S. C. M. Clementisſimis aſpexit oculis, & gratum fore acceptumque pronunciavit, ſi a Germanis primus Ephemeridum Tomus dedicetur. Vides igitur, ſvaviſſime Domine Collega, qvousque negotium ſit perductum, nos hic Uratislaviae degentes, qui primi Anni collectionem in nos ſuſcepimus, a reliqvis Dnn. Collegis, qui conſenſum primum praebuerunt, nullas adhuc accepimus ſuppetias, praeter unicam D. Praeſidis Obſervationem, & ſex D. Möllenbrocci, qvi propediem plures mittet. Vienna tamen Medici quatuor e Moravia tres & Dn. D. Doberzensky Prof. Pragae, hactenus fideles fuerunt in communicatione, &

quod alii hactenus neglexerunt, ſuis adjunctis ſymbolis correxerunt. Jam fere XL. Obſervationes prelo exceſſerunt, plures quoque ſingulis ſeptimanis Lipſiam in Typographiam mittuntur, & ſperamus, primum annum integra centuria extiturum. Catalogum jam impreſſarum ſubjeci, quem cum Caſtore Tuo & D. Makio communicare poteris. Quibusdam uti vides, ſcholia adjecimus Hiſtorica ſaltem non critica, ob analogiam; video illa quibusdam praecipue Lipſienſibus diſplicere, qui putant quaſi Scholia haec virgulam cenſoriam contineant. Abſit hoc a nobis, & ſatis id declaravimus in Epiſtola Invitatoria, etiam Ipſorum monitione terrefacti Scholiis abſtinuiſſemus, niſi Viri Jlluſtres, Religioſi, alii Eruditi, qui Bibliothecis Medicis carent, & tamen Phyſico-Medicis delectantur, incitaſſent, ut in incepto pergeremus tramite. D. Joh. Ferdin. Hertodius Crocologiam ad normam Curioſorum confecit, quae pariter ſub prelo fervet, proximis nundinis diſtribuenda. Optaſſem, ut &, Amiciſſime Dn. Collega,

ga , Gemelli Tui fœtus fauſta Lucina prodirent, de qvibus antea ſpem feciſti, hiſce literis nihil adjeciſti.

Leges etiam promulgaſſemus hiſce nundinis Autumnalibus, certis tamen de cauſis melius fore judicamus, ſi primo expectemus , quae judicia Ephemerides primi Anni ſint experzura. Adeſte igitur nobis , o fideles Socii laborum, & noſtros conatus juvate, ne tanto oneri ferendo impares ſuccumbamus, ſic plurimorum exemplis incitati etiam alii ſtrenuam navabunt operam. Exteros ſperamus inpoſterum nobis futuros maxime benevolos. Reſponſoriae ſi non alia occaſione, tamen Lipſiam transmitti poſſent ad Mercatorem Dn. Buhl in Briel habitantem, qui ut ad me citisſime profeantur , procurabit. Interim Kornmannus ſalvus rediit opera Graumeri. Vale interim, Vir Excell & quamprimum reſcribe, ſalutant Te Triumviri Noſtri Uratislavienſes Collegae.

Uratislav. 4. Jul. 1670.

Adjunxi aliquot Exemplaria Epiſtolae Invitatoriae, inter Medicos familiares dividenda.

 EPISTO-

EPISTOLA XLVI.

SALVE ACADEMI-CUM. DE USU ACIDULA-RUM.

D. Joh. Chriſtian-Makio

L. C. F. Garmann

CHEMNITIO SCHNEEBERGAM

S. D. P.

EN tandem a Nobiliſſ. Noſtro Phoſphoro literas, & iisdem inſertum Academicum noſtrum SALVE. Litaſti a teneris Naturae, adultior vero raro exemplo Phyſicam Almae Medicinae junxiſti, Patris Celeberrimi legens veſtigia. Fluxit inde vera felicitas Practica, quam tot non ſolum reſtitutorum loqvuntur cohortes, ſed & ſera poſteritas, ſi quae ſperanda, admirabitur. Ne mireris igitur, cur & Te in ſuas partes trahere laboret Noſtra Academia, curve Te Collegam futurum invitare decreverit. Sperat & a nobili Tua eruditione ſplendidum jubar, &

a raris

a raris Tuis Obſervationibus Phyſico-Medicis nitorem haud ſpernendum. Sis age proinde nobiscum in hanc arenam deſcendere, Noſtroque Cohorti ſtrenuum Te praeſtare Ducem non abnuas. Ars Noſtra, cui Sacramentum pridem dediſti, flagitare id videtur, qvin & ipſa Salus. Ne id pluribus proſeqvar, adjuncta Epiſtola Invitatoria typis impreſſa aurem vellicat.

Reſponſorias una cum Obſervationibus Ephemeridibus inſerendis, Mercatoribus Veſtris ad Nundinas Johanniticas Uratislavienſes profecturis commode tradere poteris. Venator Primarius Auguſtoburgi poſt uſum Noduli Cholagogi & pulveris aperientis rectius valere incipit. An Acidularum Egranarum uſus eidem proficuus, ſcire avet. Ad viſcerum obſtructorum deoppilationem earum uſum eidem non diſſvaderem, ſi modo Ventriculi tonus omnimode fere deſtructus aqvarum oneri ferundo ſufficeret. Nec in paſſionibus nephriticis omnibus earum uſus probatur. Tu quid ſentias, prima occaſione ad me ſcribas. Interea cum

Tua ad votum VALE, & iterum iterumque, exoptatiſſime Dn. Collega, SALVE.

Chemnicii, d. 14. Maji. 1670.

EPISTOLA LXVII.
GRATULATIO DE RECEPTIONE IN COLLEGIUM CURIOSUM.

L. Jeremiae Rhetio
L. C. F. Garmann
CHEMNITIO *ARNSTADIUM.*
S. P. D.

UT vero Caſtorem ſuum olim adamavit Pollux, ita & Te tacite qvamvis adamavi, Excell. Domine, ab eo tempore, qvo primum non tantum ingenium & eruditionem, felicitatemque Tuam Practicam mihi intimarunt, Viri in Arte noſtra Magni, Argonauta & Phoſphorus Noſter, ſed & ſimul literis ſubindicarunt ſtatim meam in Jlluſtre ipſorum Collegium receptionem, excepiſſe Tuam. Nec qvidem ob haec ſolum, verum & hoc, non ſine

ſine fato forſitan, flammam exaſpera-
vit, qvod uti meae tenuitati Pollucis,
ita T. Excell. Caſtoris nomen tantorum
Virorum tribuerit ſagacitas. Vox tum
una erat, votum unum

Vivite Tyndaridae!

Hinc & nos fratres invicem vocare li-
buit Excell. noſtris Collegis, utque da-
a occaſione ad Te meas darem non ſe-
mel Svada Noſtri Phoſphori calcar mi-
hi addidit & animum. Cum ergo o-
ptata tandem mihi illuxerit occaſio, in
officio amplius juſto ſegnior eſſe nolui.
Qvocirca & SALVE meum hoc ipſo ſe-
ro qvamvis, ſerio tamen E. T. trans-
mitto, eidemqve junctam, juſſu Phoſ-
phori Noſtri, Ephemeridum noſtrarum
promulſidem. Prodibunt illae Nundi-
nis Autumnalibus Lipſiae. Colligent
autem eas Uratislaviae Dn. Collegae.
Nullus dubito, qvin & varia Phyſico-
Medica apud Te lateant obſervata, hinc
ut & in Ephemeridum noſtrarum an-
nennis fauſto omine mices, exoptatiſ-
ſime Caſtor, operam comodabis inde-
feſſam. Ultra LXX. Obſervationes ſe
jam poſſidere Phoſphorus Noſter ſcri-
 bit,

bit, & earundem numerum in dies au-
geri ſibi & nobis gratulatur. Ne am-
plius Tuum ſollicitem laborem & a-
morem, fides & candor Tuus inſtar Ca-
ſtoris & Pollucis mihi ſunt, qveis ſo-
lertia Tua accedit ſvavisſima illa do-
ctis capitibus Helena. Fauſto ſic na-
vigabimus Sidere imo Numine. Sic
oppido Noſter triumphabit Argonau-
ta. Sic nobis novus non deerit
Jaſon. Scis qvid Caſtori Pollux. Ita
Maro:

Sic fratrem Pollux alterna morte re-
demit
Itque reditque viam toties --
Tu Te amantem redama.

Chemnitii, 23. Maji,
1670.

EPISTO-

EPISTOLA LXVIII.

OBSERVATIONUM PRO EPHEMERIDIBUS ANNI PRIMI SYLLOGE,

D. Philipp-Jacob-Sachſio a Lewenheim

L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *URATISLAV.*

S. O.

VEre Phoſphorus es, Nobiliſſ. Sachſi, ſi quod coruſcum jubar noſtram illuſtrat Academiam, radiis ſane Tuis id debet. Tanta eorum eſt virtus, ut non ſolum primae magnitudinis ſtellas, ſed & ipſos poſt ſe trahat Planetas.

Carmina de Cœlo poſſunt deducere Lunam.

Qvid Phoſphorus noſter? ipſum Solem ſollicitat, imo Jovem non eruditionis ſaltem ſplendore, ſed etiam fervore inimitabilis ſolertiae. Conjunctis igitur viribus inceptum Opus promoveamus nobis non indignum, poſteris profuturum recte contendis. Secutus Te ut

ut umbra corpus, ut alacriter hoc ſta-
dium nobiscum decurrant Fratri meo
Arnſtadii, D. Makio Schneebergae, D.
Möllenbroccio Halis Saxonum, D. Et-
müllero Lipſiae commorantibus ſtimu-
lum addidi literarium. Ne ἀσύμβολος
appaream, ſeqventia ſubjungo.

Obſ. I.

AErem Araneis & aliis inſectis in nu-
trimentum cedere ſaepius obſerva-
vi. Araneas vitro incluſi, clauſoque
exacte foramine, omnem fere aeris u-
ſuram eisdem abſtuli. Decreverunt
de die in diem, adeo, ut grandiores
qvamvis antea, vix piſum aeqvarent
minimum. Ad incitas easdem reda-
ctas cum putarem, acu foramina qvae-
dam operculo induxi, & illico tanqvam
famelicae foraminibus iſtis ſe applica-
bant, & poſt unum & alterum diem
notabile ſumebant incrementum, ut
etiam, modo locus fuiſſet commodus,
a textura non abſtinuiſſent. Conclu-
debam exinde, eandem eſſe materiam
filorum meteoricorum ſive B. Virginis,
ut vocant, & filorum, quae textura ara-
nearum parantur, utpote qvam mate-
riam

-riam ex aere prius attractam, poſtmo-
dum evomunt. Illuſtrant haec quæ de nu-
tritione viperillarum habet *Strauſius E-
piſt. ad Com. Dygb. in Theatr. Sympath. &
Antip. p. 131.*

Obſ. II.

NEc ſilentio praetereunda Araneae cum Bombyce Antipathia, a nullo, qvod ſciam, annotata. Cum Anno 1661. & 1662. circa Bombycum naturam, educationem & transmutationem varias colligerem obſervationes, qvosdam adultos ex improviſo aegrotare, & poſtmodum emori deprehendebam. Nulla ratione coloris apparebat mutatio, guttula ſaltem unica aut altera albicans in dorſo vulnus punctim inflictum intimabat. Muſaeolum aliqvando ingreſſus, araneam dorſo Bombycis inhaerentem vidi, mortisque repentinae cauſam oppido intellexi. Invidia turgens aranea, an hoc modo inſidietur optimo artifici Bombyci ob cognatam artem, in conjecturis eſt. Sie (die Spinne) haſſet und verfolget die Seidenwürmer / wie die Pfuſcher die vollkommenen Meiſter.

Obſ.

Obſ. III.

DE cibo Bombycum varia recitantur
Ulmi foliis , ſi mori foliorum non
ſit copia, eos paſci poſſe, *Hieron. Vid.*
l. 1. de Bombyc. v. 209. docuit, ficuum fo-
liis *Bellonius l. 2. Obſ. c.* 105. Lactucæ
Voſſius l. 4. Idolol. c. 69. p. 1542. A La-
ctuca comeſta Dyſenteriam incurre-
runt, evaſerunt pauci. Ficuum folii
aut abhorruerunt penitus, aut iis deglu-
titis minus firma duxerunt poſtmodum
fila, erucarum aut aranearum telis non
abſimilia. Mutarunt forſan cum cœ-
lo genium ficus. Qvod vero moru
lautus pariter & utilis ſit Bombyci ci-
bus, ſucco ejus glutinoſo aſcribendum
qvi in ventriculo & inteſtinis exacti
coctus & praeparatus, gummi modo al-
bicans , modo citrinum mentitur, ex
quo fila poſtmodum quaſi vomente
texere ſolent, prout id Anatome ad o-
culum demonſtrat. De Bombycibus
moro alba & ſerico librum Pariſiis an-
no 1603. prodiiſſe *Zeilerus part. 1. Cent.*
1. Ep. 10. p. 24. notat, qvem cum in nul-
lis viderim qvas perluſtravi Bibliothe-
cis, optandum , ſi in Tua vel alteriu

Vir

Viri eruditi Bibliotheca lateret, denuo, ſi qvidem dignus judicabitur, recudatur.

Obſ. IV.

DE Serpentibus in Jndia ſolidos haurientibus cervos taurosque *Plin. l. 8. c. 14. Solinus c. 53.* In Tartaria integros homines *M. Paulus Venetus l. 2. Chorograph. Tartar. c. 41. Busbeqvius Epiſt. Turcic. 3. p. m. 176.* vidit eosdem integros mures & bufones deglutiiſſe. Qvod bufones ſpectat, illud & amicus meus apprime colendus Dn. D. Godofred. Buxbaum Phyſ. Jleburgenſis nuper obſervavit, qvi ſerpentem aperiens, grandem in ejus ventre reperit bufonem.

Obſ. V.

INſectum illud, Scolopendram quod vocant, nos die Naſſel / in tenebris ita lucet, ut complicatum ſi intuearis, carbonis igniti particulam reputares. Compreſſum ſcintillas ſpargit, emittendo humoris venenati, quo turget, particulas. In mortua ne minima lucis ſcintilula, quod & Pyrolampides probant, ut liqvorem aut alias res noctu lucentes e mor-

e mortuis evocare qui ſtudent, fruſtr
laborent, quod & *Kircherus l. 1. p.*
Art. magn. luc. & umbr. c. 6. §. 1. *p.* 24. no
tavit.

Obſ. VI.

GRaves ſonos, fragores & tonitru
futuram perdere pullitiem, plebe
norunt. Obſervavit & id *Ariſtotel*
l. 6. hiſt. anim. c. 2. rationem dedit *Har*
veus de gen. anim. exerc. 17. p. m. 69. Ho
annotandum duxi. Qvidam Mecha
nicus lima ſaepe ferrum & chalyben
radens, gallinam ovis incubantem i
eodem conclavi aluit. Qvid fit ? pull
excluſi omnes vertigine rotabantur
ob ſpirituum aut aeris inordinatum mo
tum, a moleſto iſto ſono toties toties
que excitatum. Ita aſpectus molendi
narum, rotarum, trochorum, vorti
cum, cumprimis in corporibus debili
libus, utpote qvibus faciliores & forti
ores contingunt impreſſiones, vertigi
nem cauſare ſolet & Scotomiam. *Vid.*
Avicenna l. 3. Fen. 1. tr. 5. c. 1.

Obſ. VII.

OVum magnitudine centeninum re
ferens pirum praeterita aeſtate pe
perit

perit Gallina : praeſente vero aeſtate
Anas ovum caudatum, qvae inter ra-
riora mea ſervo.

Obſ. VIII.

TErram oluit qvidam apud *Borell Cent.* 4. *obſ.* 8. *p.* 342. & paulo poſt fato ceſſit. Idem Martisburgi in puella inſtante febre conſumta adverti & ſtatim primo acceſſu nil boni ominabar. Poſt obitum mater cum ſignum mortis inſtantis ex me ſcire deſideraret, odorem terrae fracidum allegavi. Conſentiebat, & non ſolum in hac, ſed & in aliis qvatuor infantibus inſtante fato ſe eundem odorem propriis hauſiſſe naribus ſancte aſſeverabat. Quod ipſum & in aliis morituris poſthac obſervare licuit. Qvaedam de hoc odore ſparſi *lib.* 2. *de mirac. mort. Tit.* 4.

Obſ. IX.

QUaedam hic loci Pannificis Conjux ſub umbilico in regione pubis anno praeterito abſceſſum ſenſit magnitudine juglandis, qvem cum emollientibus tractaverat per duas ſeptimanas Chirurgus, rumpebatur, & illico excrementa, paulo poſt vero qvinque egere-

bantur teretes lumbrici. Seqvuntur ſingulis horis plures. Advocatus, inteſtinum aliqvod craſſum a lumbricis perforatum pronuncio. Plures ejuscemodi hiſtorias collegit *Schenkius l. 3. obſ. med. de verm. 5. p. m. 373.* Adhibitis per os amaricantibus medicamentis, intra qvatuor dies ultra centum ſpithamae longitudine prodierunt lumbrici, praegreſſo ſemper aliqvali in vulnere doloris mordicantis ſenſu. Injectionibus conſolidantibus per anum intra tres ſeptimanas curata, jam optime valet. Similem abſceſſum in ruſtica fœmina prope Ileburgum ante aliqvot annos in ingvine me vidiſſe recordor, e qvo tamen tres ſaltem lumbricos teretes exiiſſe memini.

Obſ. X.

QUidam civis noſter dies noctesque intolerabili cruciabatur totius horrore, nullis operimentis tantiſper cedente. Balneo etiam calidisſimo illatus, nihil levaminis ſentiebat, & etiam in ſomno horrore percuſſus tremebat. Ab hoc pro febricitante, ab alio pro ſcorbutico habebatur. Me tandem

conſulit,

onſulit, & qvamvis a ſcorbuto eun-
em penitus non abſolvendum eſſe pu-
arem, tamen Vermium praeſentiam
atim ſuſpicabar. Firmarunt hanc ſu-
picionem varia qvae a Practicis addu-
intur ſigna, qvae propria aegri rela-
o confirmabat. Propinavi per ali-
vot dies vermibus ſpecifice contraria
nedicamenta, parum tamen ſenſit le-
aminis. Purgante tandem appropri-
o uſus, globos duos vermium ma-
nitudine ovi gallinae per alvum excre-
t, cum materia fœtida & purulenta.
eſſavit eodem momento horror, &
dem die conſvetos alias, & per tot
enſes intermiſſos adiit labores.

Obſ. XI.

Etroſelinum inciſum in juſculo ſum-
tum cum urina rejecit ruſticus;
er muſcas, pulices, dentes ovillos,
vum, nummos, & alia, ut apud Exc.
D. *Horſt. part.* 1. *man. ad med. c.* 2. *p. m.*
. legitur. Qvidam vero Paſtor a le-
purgante primo ultra qvinqvaginta
uit receſſus, ſeqventi autem nocte
rmina ſenſit intolerabilia & egesſit
alvum capillos, arenas, vitri frag-

 menta;

menta, & qvod inauditum fere ſemen ſemini Hyoſcyami reſpondens, perſeveravit malum aliqvot menſes, usque dum vitam in Domino cum morte mutaret, vir eruditus juxtim ac pius. Haec ex ore filii in munere Eccleſiaſtico ſucceſſoris, qvi & partem collecti ſeminis mihi communicavit, quod tanquam rarum quid curioſis oſtendere ſoleo.

Obſ. XII.

MErcurium vivum potum ſangvinem coagulare credidit *Primeroſius l. 4. de Error. vulg. in med. c. 29.* Id vero qvo minus credamus, facit Autoritas Clariſſimorum Virorum. *Botalli l. de lue ♀ea c. 17. Paraei l. 20. de Venen. c. 28.* de mendico impoſtore *Wierus l. 4. de praeſtig. c. 6.* de pagana muliere *Platerus l. 3. obſ. ult.* De Georgio Marchione Brandenburgenſe retulit *Thom. Jordanus l. 3. de phœnom. peſt.* eum noctu ad ſitim extingvendam lagenam mercurio plenam arripuiſſe, vini loco hauſiſſe, & innoxie iterum excreviſſe. Plura dabit *Unzerus in Anat. mercur. Spagyr.* Nuper cum curioſitatis gratia infuſoriae litarem, ut mercurius ſangvini miſtus

quid

quid patraret cognoſcerem, ſemiunciam mercurii vivi venae crurali canis intruſi, venam exacte compreſſi per horam, & demum ligatura locum accurate munivi, nihil tamen exinde mali, poſt duas horas ſedem habuit, ſed naturalem, nec per illam diem aliquid urinae excrevit. An doſis fuerit juſto parcior, an alia ſubſit cauſa, judicent eruditiores. Et haec ſufficiant. Dediſſem plura, ſi tempus, ſi chartae anguſtia permiſiſſent, quae reſtant, alio transmittam tempore. Gemellus meus fœtus dudum Bibliopolae Kirchnero traditus, neſcio quam ſiniſtram experiri cogatur Lucinam, Elephantorum imitaturus, ſi vera eſt fabula, partum. Novas hic erudito orbi ſpondet obſervationes & hiſtorias, neſcio vero quae Bibliopolam faſcinet remora. Si Treſcherus Veſter Curioſorum opuſculorum excuſor ſtrenuus difficili parturitioni ſubvenire geſtiret, libentiſſime a praedicto Bibliopola repoſcerem, ipſique transmitterem.

Vale Vir Nobiliſſ. & dum mea ſomnia

mnia aliquid eſſe putas, in optimam ea
interpretare partem.
Chemnitii, 10. Junii, 1670.

EPISTOLA LXIX.

LEGES COLLEGII CURIOSI. SCHEUNEMANNI HYDROMANTIA PARACELSICA. FONS RONNEBURGENSIS. AQVÆ MEDICATÆ. CORTEX WINTERANUS. MERCURIFICATIO METALLORUM. D. AMMANNI MEDICINA CRITICA.

D. Joh. Chriſt. Makius

L. C. F. Garmanno

SCHNEEBERGA CHEMNICIUM

S. D.

OBmutuiſſe me vel facile credas, qui ad amoris & favoris plenisſimas Tuas unicum verbulum nondũ repoſui. Favor Tuus & amor in me ſincerus ſi eſt, ut eſt, deſiſto ego ſilentii mei veniam petere; Noſti enim cum montibus & laboribus quantum mihi ſit negotium, qvotidianum ſcil. & tantum ut

ut ſi vel horula aliqvando ſupera, vires me deficiant. Phoſphoro Veſtro, dicam noſtro ! Excell. Nobilisſimo D. Sachſio inclusas perbreves ſuſcipe transmittendas. Te internuncio cur non utar? talis fuiſti, & porrius eſſe diſcupis. Sane, utrumque eſt Tuae humanitatis & benevolentiae opus, cujus meminiſſe erit ſe Tuum profiteri & agnoſcere debitorem. Exſcriptas typis Acad. Nat. Cur. Leges Anno 1662. cum Tuis, quas jam remitto, contuli, iisdem conformavi & mihi ſervavi reformatas et adauctas. Et inſtitutum & Leges nemo ſanus taxabit; quis autem curabit inſanos naſutulos? Addo Scheunemannum, citius Te eundem remiſſurum, quam ſemel lectum relecturum ſcio: Nigrum rubro neutiquam reſpondet. Ut & mihi de ipſo fonte conſtet, adibo locum, licet nunc inacceſſum. Ronneburgenſem nuper vidiſſe & guſtaſſe mihi contigit: pro ſimplici nunc bibitur aqua, certe uti ipsum Pillingianum ſcriptum pro non ſcripto habetur. Ita enim eſt; Manifeſtatis non levi conjectura (ut ſaepius fit) ſed artificioſa

operatione iis, quae aquis medicatis inſunt, de viribus iſtarum aquarum judicari poteſt: ea tamen ratione, ne protinus omne illud, quod ſimplicioribus iſtis mineralibus & foſſilibus in ſe conſideratis convenit, aquis hiſce tribuamus, juxta *Hippocr. l. de vet. med.* notante *Gr. Horſtio.* Cortex Winteranus, ſi adhuc Te curioſum tenet, quis ſeme docuit *fol. 460. l. 4. tom. 1. Hiſtor. Plantar. Univerſalis*, ubi ex *l. 4. c. 1. Cluſii* allegatam deſcriptionem video, quam & *Mollenbroc de varis c. 13. p. 118.* allegat: ipſa verba ſi legere geſtis, curam deſcribantur. Jenae praeter Rolfincium neminem vidi: cum hoc mihi erat deliberandum de affectu Perſonae Illuſtriſſimae, cui ego prae Egranis acidulas Steebenſes commendatas volui: ipſe conſentit & nunc Patiens iisdem ſumma cum εὐφορίᾳ utitur, delicatulus licet medicamenta, quae ipſae acidulae deſiderant crebriora, abhorreat. Adorfenſium aquarum medicatarum deſcriptionem novellam, autore Leiſnero Plavienſium Conſule & Phyſico, ego nondum vidi. Rolfincium mercu-
rificatio

rificatio Metallorum habet anxium & totum, hic enim ut ejusdem Nonentitatem ſtabiliat firmius, opponit Bechero jam peculiare ſcriptum, cujus priores paginas mihi monſtravit, tractatulum propediem ſpero. Ammanni Criticam procurarem, ſi eam Tibi vel gratam ſcirem; Impreſſa eſt Rudolſtadii; extorſit ipſe & a Parente meo ibidem Auliatro, Epiſtolam, quam a nonnemine inique acceptam inaudio, qui ſibi vellem caveret. Ipſum Ammannum non decebat Parentis mei vel ſenſum vel verba Epiſtolae immutare, ut major exultaret recommendatio ſcripti, quod vel ipſe adeo recom̃endatum forſan noluit. Interim otioſioris Profeſſoris ſenex Archiater & Practicus negotioſiſſimus maledicta nec metuit nec curat. Sed abrumpo. &c.

Schneebergae, 20. Julii, 1670.

EPISTOLA LXX.

DE EPHEMERIDIBUS CURIOSORUM.

D. Philipp-Jacob-Sachſius á Lewenheim L. C. F. Garmanno

URATISLAVIA CHEMNITIUM;
S. D. P.

PRo transmiſſis obſervationibus & experimentis, maximas ago gratias, gratisſima fuere, & reliqvis adjicientur. De Bombycum natura elegantem tractatum edidit Malpighius Prof. Bonon. quem Angli tanti fecerunt, ut Londini rurſus excuſerint. Cum paucarum ſit paginarum, non incongruum ducerem, quod & in Legibus noſtris novis promiſſum fuit, ut ille tractatus rarisſimus ſub finem Ephemeridum noſtrarum recuſus adderetur; non minus quam Redi de Natura viperae e Florentino Experimentali Collegio tractatus ex Italico in Latinum a

Collega

Collega quodam translatus, ſimilesque alii rariores tractatus ; Video tamen Dnn. Lipſenſes rigidiores aliquantulum eſſe, & ut nulla , niſi nova nec prius audita inſerantur Ephemeridibus ,ſvadere, Anglorum cenſuram metuentes, cum tamen non ſolum Exteris, ſed potiſſimum Germanis noſtris ſcribamus, quibus non ubique locorum tam inſignes Bibliothecae ſunt. Imo quae a Dnn. Medicis hinc inde transmittuntur, licet non unius ejusdemque ponderis ſint, tamen neceſſario inſerenda exiſtimo, ne deterriti, quaſi ipſorum communicata flocci penderemus, inpoſterum etiam graviora conferre omitterent. Scholia, quae hactenus quibusdam Obſervationibus adjuncta fuerunt mere Hiſtorica, nunquam Critica, a quibusdam laudantur, ab aliis ut penitus deſiſtamus , crebriores fiunt adhortationes. Quare hoc primo anno in ſemel incepto perſiſtendum erit tramite, colligenda inpoſterum judicia & cenſurae variorum Medicorum , & prout graviores aut plures rationes Methodum noſtram vel culpabunt, vel lauda-

laudabunt, ad eandem normam Lesbiam inpoſterum dirigere placet ſubſequentes Ephemerides. Tu Vir Excell. & in hoc negotio pro candore Tuo mentem exponas, & alios, utpote Dn. Fratrem Tuum, D. Makium, aliosque amplius incitare perge. Nuperis per Graumerum miſſis Catalogum adjunxi obſervationum jam impreſſarum, hiſce adjungo rurſus aliquot titulos earum, quas Lipſiam jam dum miſimus, multo tamen plures adhuc in ſcriptis haerent, quae in dies ſubſequentur. Cur Kirchnerus Exc. T. opuſcula tam diu carcerata teneat, haereo, forte aliquo ea pretio redimere pernegat: Ita ingenium Bibliopolarum eſt, ut ipſi ſoli lucrum alienorum laborum capiant, Authores vero ne obolo quidem lucri participes reddant, quod & ipſemet expertus ſum, nam & Treſcherus noſter nil aliud praeter ſumtus Typographicos ſuppeditat. Crocologia Dn. Hertodi Collegae noſtri hiſce nundinis ſimul prodibit. Vale Vir Excell. & amplius fave.

Uratislaviae, 26. Jul, 1670.

EPISTO-

EPISTOLA LXXI.
EJUSDEM ARGUMENTI CUM PRÆCEDENTE.

Idem Eidem.

URATISLAVIA CHEMNITIUM.

S. P.

SUmma cum animi laetitia percepi E. T. ad ſecunda vota tranſiiſſe, quae ut vere ſint ſecunda, animitus precor; & ut gemellum par uxorum, ſic ut Diſputationi eruditae de Gemellis Te parem praeſtes & Gemellos primo partu exhibeas, ipſemet qui gemellus a matre mea primipara olim cum fratre brevioris vitae editus ſum, apprecor Tibi. Serius Tua prodeunt miracula mortuorum? quid Tibi nunc cum demortuis, qui viduitate excedens, cypreſſos removes, & flammeum quaeris. Sed quod Ægytii laude dignum fecerunt, ut in mediis conviviorum genialium apparatibus Mortis effigiem exhiberent, ut nimia gaudia mortalitatis memoria temperarent; pari

pari ratione nuptiales Tuae ſolennitates Mortuorum miracula non excludent ; quare ut cum conviva non fuerim ſpectatorque Tuorum gaudiorum, ad minimum ut hoſpitio excipere poſſim Larvam tuam ſepulchralem non abominandam , ſed cum voluptate luſtrandam, quantocyus procurabis. Quo labore hactenus Ephemeridum noſtrarum Annum Primum tractaverim, teſtabitur opuſculum Primi Anni, quod his nundinis Typographi prelum effugit, & eruditorum Medicorum eruditis judiciis ſe ſubmittit; quae ſi candide quid monere voluerint, gratiſſimum erit, ſi nobis Collectoribus communicetur ; hac etenim ratione evitabimus inpoſterum in continuando curſu varios ſcopulos, qui facile naufragium famae facerent. Ex Aula Caeſarea Patrocinium certo promiſſum, quo una cum oblatione aliquot Exemplarium auctas Leges transmittemus, ut S. C. M. manu ſubſcriptae inpoſterum ſecundo Anno praefigantur, una cum nominibus Collegarum. Jam ad hujus Anni opera conficienda manum

num admovemus, a Reg. Maj. Poloniae
rchiatro rariora quaedam promiſſa
xpectamus. Quare ſi E. T. finitis nupti-
libus feſtivitatibus rurſus obſervatio-
ũ comunicatione ſeria ſuccurrere ve-
t, grata id agnoſceremus mente; praeci-
ue cum nullum ſit dubium, quin inſpe-
tio tot fodinarum metallicarum (prae-
er aliam ingenii Tui ſolertiam) mate-
iam amplam ſit ſuppeditatura : mo-
um tractandi exhibebunt Ephemeri-
es editae; quarum Exemplar luben-
ſſime dono obtuliſſemus, niſi noſtro
ere eſſent Exemplaria coemenda. Ri-
idum & tenacem habemus Bibliopo-
m, quod ſi ex voto res ſucceſſerit, ut
ipoſterum liberaliorem ſe exhibeat,
ogi poterit. Incluſas E. T. fidei com-
iendo D. Makio perferendas, qui ha-
enus praeter gratiarum actionem ni-
il obtulit, ut tamen inpoſterum ſym-
ola ſua adjiciat, una cum *E.* T. fratre
rnſtadi haerente, ſerio erunt monen-
: miror etiam D. Petri alias in Epi-
olis ſcribendis non adeo tenacem,
m tribus meis ſucceſſive miſſis Epi-
olis reſponſorium denegaſſe. Tu Vir

Exc.

Exc. conſtanter, ut incepiſti, perge, ne ſoli derelicti in laudabili hoc ſtadio deficiamus. Dn. D. Major neſcio qua de cauſa penitus altum ſovet ſilentium, antea fervidus declamator, & Collegii Propugnator. Vale Vir Exc. & fave.

Uratislav. 3. Octobr. 1670.

EPISTOLA LXXII.

EJUSDEM CUM PRÆCEDENTE ARGUMENTI.

Idem Eidem

URATISLAVIA *CHEMNITIUM.*

NEc Veneri litandum ſemper, nec in novae Nuptae amplexibus nimis haerendum, ad Apollinis caſtra quoque denuo redeundum eſſe aurem tibi, Amice, vellico. Speraveram Nundinis autumnalibus e Lipſia literas, eandem ſpem fovebam per Schneebergenſes Mercatores Uratislavienſibus nundinis, ſed praeter ſpem voto excidi. Non dubito Ephemerides

rides noſtras Chemnitium delatas fu-
iſſe, quas plurimis in locis cum applau-
ſu quodam exceptas fuiſſe, laetus in-
tellexi, ſed & Tuum expecto proxima
occaſione judicium. S. C. M. non ſo-
lum ſerena fronte excepit novum hunc
Partum, ſed & magnam in eo oſten-
diſſe complacentiam, & paternam So-
cietati Curioſorum promiſiſſe Tutelam,
mihi perſcriptum fuit; nunc in eo oc-
cupatus ſum, ut Leges noſtrae reno-
vatae in Aulam transmiſſae, S. C. M.
ſubſcriptione clementiſſime pro majo-
ri Authoritate confirmentur, & poſt-
modum ita confirmatae Secundo An-
no praefigantur. Ad ſecundum To-
mum augendum, jam Brunſviga,
Magdeburgo, Erfurto, Halis Saxonum,
Warſovia, Thorunio, Praga, Vienna
&c. novae advolarunt Obſervationes,
easdem ut E. T. propriis Experimen-
tis, uti antea ſtrenue fecit, adaugere
velit, rogo & deſidero; inprimis eti-
am Exc. Dn. D. Rhaetius Arnſtadii,
& Dn. Makius Schneebergae, ad idem
officium peragendum ſerio erunt ſoli-
citandi. Miſimus Londinum duo Exem-
U plaria.

plaria ; quomodo a Societate Regia
excipientur, inpoſterum ſignificabo
Exemplar unum Romam quoque trans-
miſſum fuit, pariter ac Pariſios Domi-
no D. Joncquet Medico Regio, & Bo-
tanico celeberrimo. Nunc cum in-
ſtent nundinae hyemales Lipſienſes, ab
E. T. expecto transmiſſionem qvarun-
dam rerum Curioſarum Ephemeridi-
bus inſerendarum, non minus quam
primam partem Operis de Miraculis
Mortuorum, quam nondum videre
contigit. Niſi a Typographo pretium
laboris Tui expectares, forte non in-
conveniens judicarem, ſi inpoſterum
Tractatus Tui de Plantis monſtroſis
pars prima, uti in Primo Anno cum
tractatu Dn. Redi factum, ſub finem ſe-
cundi Anni adjiceretur, ita namque eo
citius omnium Curioſorum manibus
tereretur, de qua re Tuum expecto ju-
dicium. Si alius quoque paucarum pa-
ginarum Curioſus tractatus in Biblio-
theca Tua haereret, qui dignus publi-
ca luce, ſimul ſubjungi poſſet. Dn. E.
Bierlingius Medicus Magdeburgenſis
nomen Collegio dedit, & in numerum
Collega-

Collegarum ſuſcipi petiit. Et Tuam impendes inpoſterum operam, Excell. Garmanne, ut & Amicos ſolicitando, & diligentiae tuae adjectis ſymbolis quovis modo Collegii noſtri nunc floreſcentis incrementa nobiscum foveas. Vale.

Uratislaviae, 13. Decembr. 1670.

EPISTOLA LXXIII.

OBSERVATIONUM BIGA.

D. Philippo Jacobo Sachſio a Lewenheim L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *URATISLAV.*

S. D. P.

NUnquam vero colo ita me alligabit Venus, ceu Herculem Omphale, ut curioſitate laudabili relicta in ſinu Cajae meae ſemper haerens improbas uxorem delicias. Et qvi poſſet id Cypria, cum vel Epimenidis ſomnum animo excutere valerent blanda Sachſi noſtri hortamina, quamque toti Or-

bi jam depalavit induſtria. Seqvimu hunc ut umbra corpus, ſeqviori qvam vis facultate,pari tamen conſenſu. E minutisſima ſtellularũ corpuſcula qvem dam Cœlo affricant nitorem Galaxiam conſtituendo, qvid ni & noſtrae obſer vatiunculae & phaenomena tot Sphae rae eruditioris luminibus Emphaticis per accidens ſaltem ea illuſtrando,hae ſi cum illis componas. Cum igitu ſemel iis nomen dederim & ſacramen tum, caſtra veſtra ſequi conſtitui, q o ad DEUS conceſſerit. Cumprimis quia hoc noſtrum inſtitutum omnibu apud nos eruditis probatur, placidum que noſtri conatus invenerunt Joven jam Bigam Obſervationum ſis accipe

Obſ. I. Aceti & acidorum uſus nimius in gravidis fœtui noxius.

NObilis quaedam fœmina uterum ge rens, toto geſtationis tempore nul lum cibum niſi acidum, prout ipſa re tulit, expetiit, potus vero loco conti

nu

uo acetum avidis hauſit faucibus. Ex-
luſit poſtea fœtum absque epidermide,
œtera perfectum & valentem quidem,
ui tamen paulo poſt ob dolores a de-
ectu cuticulae cauſatos, fatis cedere
oactus eſt. Idem de Ludovico Hun-
ariae Rege annotatum apud *Curaeum
art. 1. Annal. Sileſ. circ. ann. 1506.* legi-
ır, cujus mater an eodem in acida
agravit appetitu, incertum eſt.

Obſ. II. Terror Tertianae & quartanae remedium.

Pilepſiam terrori aliquando ceſſiſſe
Th. Bartholin. Cent. 3. hiſt. anat. p. 83.
ınotavit. Podagricis eundem aliquan-
o pariter profuiſſe, alıbi relatum.
uod & febricitantibus non raro con-
ıcat, bigam exemplorum ſubjungam.
obilis quaedam fœmina Tertiana cor-
pta, & ın ipſo Paroxyſmo conſtituta
oombardae exploſione improviſa ter-
batur, ita ut animi deliquio correpta
o mortua haberetur. Vocatus, pul-
m explorans, eundem fortem adhuc

 inve-

invenio. Adhibitis igitur refectivis, ad ſe rediit, calore febrili oppido evaneſcente, nec poſtmodum redeunte. Alia Nobilis virgo per aliquot menſes quartanaria, cum ab aliis invitata cymbam intraret, morbi taedium excuſſura, cymba derepente mergebatur, ut omnes aqua & morte ſimul corripi viderentur. Periculo vero ereptae, quartanaria ſimul nullo poſtmodum paroxyſmo tentata convaluit. Plura addere animus erat, ſed Lichtenwaldam vocor ad Nob. à Carlowitz, quae reſtant, proxima occaſione transmittam. Vale interim & fave. Chemnitii, in ipſo anni 1670. funere.

EPISTOLA LXXIV.
DE COLLEGIO CURIOSO, ET SCRIPTIS QVÆDAM.

Dn. M. Joh. Cammerhofio
L. C. F. Garmann.
CHEMNITIO *ISLEBIUM.*
S. D. P.

EXoſculor merito occaſionis opportunitatem, quae in officium pronam ſolici-

ſolicitat crenam, affectum ut ventilet
minime proletarium. Tuae biennio
ubhinc ad me datae, qvantum me ex-
hilararint, ſcribere vix poſſum, vel ob
hanc cauſam, quia Te antiqvum adhuc
obtinere, h. e. accuratiori literaturae
ndefeſſam adhuc impendere operam,
partim ut eandem reſtituas priſtino ni-
tori, partim ut confuſam nova diſtin-
gvas methodo, ſatis ſuperque depala-
runt. Adſit in ſtatione moleſta quidem,
iterariae tamen Reipublicae ſummo-
pere proficua divina gratia, quo men-
tis agilitatem corporis vigor, favor ſu-
periorum indefeſſum laborem, fama-
que nunquam non perennatura tot vi-
gilatas noctes coronet. Ab illo tempo-
re, ut de meo quaedam ſuperaddam
ſtatu, quo Tuas accepi.

Ipſa dies quandoqve parens, quandoque noverca

fuit. Conjugium vix cœptum poſt ſex
menſes disjungebat atra dies. Sic Tu-
us Garmannus in ſemi-virum, imo
non-Virum, viduum nempe inſperata
metamorphoſi tranſibat. Depoſito
qvalore ſecundas, utinam vere ſecun-

das, DEO ſic diſponente, inii Nuptias. Hoc aetas, hoc rei familiaris cura, hoc Praxis medica poſtulabant. Affectus, quo curioſam noſtram Academiam in Tuis proſeqveris gratisſimus fuit. Praeter Domini Sachſii Ampelographiam, ejusdem Gammarologia, Diſſertatio de miranda Lapidum natura, & Oceanus Macro-Microcoſmicus lucem viderunt. Proſtant primi Academiae fundatoris & Praeſidis D. Bauſchii de Haematite, Ætite, Unicornu fosſili, Chryſocolla & Cœruleo Schediaſmata. Scorzoneram & Abſinthium, modernus Praeſes D. Fehrius, Cervum Graba, Carduum benedictum Petri dederunt, ſubjunget propediem Crocologiam D. Hertodius. Quae de Planta monſtroſa, de Aloe Gottorpienſi, ut & Infuſoria Dn. D. Major commentatus eſt, nota ſunt, cujus Baumannum ſeu de ſpecu Baumanni ſcriptum ut & Lithologiam avidi expectamus.

Mollenbrocci de Arthritide vaga tractatus abſolutiſſimus, ut & D. Schmidi de Ferro Commentarius lucem expectant.

pectant. Dederat huic Collegio etiam nomen Veſter olim Phyſicus Dn. D. Keiling, qui aeris naturam explanare ſibi propoſuerat. Quod penſum abſolvere non potuerit Vir experientisſimus, ex animo dolemus. Filium tamen Patris in Sparta, ut fama eſt, ſucceſſorem, ejus ſcrinia ſedulo excuſſurum, ut ea quae deſunt ſuppleat, & docto Orbi non invideat, ſperamus. Tu, Vir Excell. ſi apud Vos adhuc Praxin exercet, ut ei ſvaſor ſis & autor, in votis eſt. Felicitatem praedicti Dn. D. Keilingii in curando malo hypochondriaco multos celebraſſe recordor, hoc vero malum cum noſtros ſummopere fatiget, nullaque fere ſit domus, in qua non aut ſcorbutici ejulent, aut melancholici ſuſpirent, data quaeſo occaſione Veſtrum Dn. Phyſicum mea ſalute ſalutes, & ſi aliqvod euporiſtum aut ſpecificum poſſideat, ne Te celet, rogites, in ſimili caſu vicisſim me ſemper inveniet paratum. Meum penſum denum ſcire aves. Corylus eſt, Pica eſt: Formica tandem, ſi vires, ſi vita, ſi otium non deerunt, lento quamvis gra-

du claudet agmen. De Miraculis Mortuorum libros duos conſcripſi ante aliquot annos, qvorum primum transmitto, ſecundus prelo jam committetur, & futuris Nundinis Francofurtenſibus proſtabit. De Plantis itidem Monſtroſis libri tres in ſcriniis latent meis, ut & de buxo Schediaſma, de morbis Embryonis in utero pariter quaedam in chartas conjicere occepi, duplo auctior etiam meus de Gemellis & partu numeroſiore excudetur Commentariolus. Te circa has materias multa curioſa poſſidere nullus dubito, quorum quaedam ſi impetravero, non ſine honorifica Tui mentione meis inſeram. Sciagraphiam lib. II. de Miraculis Mortuorum ut & tractatus de Plantis monſtroſis his incluſi. Ephemerides noſtras Curioſas anni 1670. Te vidiſſe indubium, vertentis anni variis Curioſis Obſervationibus refertae jam prelum ſubiere. Tua Opuſcula videre deſidero, imo ſtatum Tuum e reſponſoriis cognoſcere. Interim vale & favere perge.

Chemnitii, d. 12. Mart. 1671.

EPISTO-

EPISTOLA LXXV.

DE COLLEGII CURIOSI SUCCESSIBUS.

D. Philipp-Jacob-Sachſius
a Lewenheim
L. C. F. Garmanno

URATISLAVIA CHEMNITIUM.

S. D. P.

DOleo ſerio tam rarum inter nos propagari literarum commerci- um, quod ab E. T. maximopere exo- ptarem, ut ſuccenturiatam mihi prae- ſtaret operam in communi noſtro la- bore pro Bono Publico ſuſcepto. Qua- re cum primum Annum exornaverint egregiae Tuae Obſervationes transmiſ- ſae, ne ſterilior ſit Annus Secundus, Tu ex ditiſſima Tua ſuppellectile obſerva- tiones qvasdam propediem ſuppedita- bis, nam quod candide pronunciare audeo, hactenus E. T. prae reliqvis Dnn. Collegis expertus ſum, cordi cu- raeqve habuiſſe Collegii Curioſi incre- mentum. Perge, Vir celeberrime, inlaudabili hoc curſu. Ampliſſ. Olden- burgi-

burgius Soc. Reg. Angl. Secretarius datis 10. Febr. e Londino ad me literis teſtatur, oblatum Exemplar Miſcellaneorum Societati Regiae fuiſſe gratisſimum, admonet, ut in incepto opere laudabiliter pergamus, cauti tamen ſimus, ne caſta Philoſophia Experimentalis relationibus & experimentis maculetur, qvae dubiae ſint fidei, & fallant. Sereniſſ. Cardinalis Mediceus promiſit e Societate Florentina communicationem Experimentorum, & miſit Epiſtolam Exc. Bellini de Reſpiratione Geometrica, & Redi novum de viperis tractatum Italice, quae ſcripta gemella ſecundo ſociabuntur anno. E Polonia Regius Archiater quaedam egregia communicavit monſtra Botanica, qvae figuris aeneis exhibebuntur elegantiſſime ſculpta. E Bohemia ſupremus Militaris Architecturae Praefectus, Vir rerum Naturalium ſtudioſisſimus, operam ſuam in communicatione nuper promiſit, ſi non pro ſecundo, tamen pro tertio Anno certo praeſtandam, is aliqvot millia collegit experimenta a ſe probata. Scripſi Pariſios, & Dn. Ab-

batem de Bourdelot, & Dn. Juſtel Secretarium Regium (qvi ambo Praeſides ſunt Societatum Naturalia Experimenta tractantium) & ad Dn. Denys Medicum Regium, illisque conatus noſtros commendavi. Leviores illi adhuc fateor, ſed graviores futuri, ſi in dies aemulatione qvadam laudabili incitati, & Virorum Jlluſtrium Exemplis moti Germani Medici diligentiores fiant. Neſcio ſane an ob invidiam dixerim an ob injuriam & negligentiam occaſio haec capillata Exteris demonſtrandi Germanorum ſolertiam adeo negligatur. Noſtra non ſolum quaeritur gloria, ſed omnium quotquot hoc virtutis & famae templum ingredi amant; nos pro illorum fama labores ſubire non recuſavimus. Forte viſo ſecundo hoc Anno mutata ſententia, mutabunt invidiam, & candorem noſtrum perſpicient. Ego hactenus variis impedimentis diſtractus nihilominus pro virili hinc inde officium meum obſervare & literis creberrimis tam ſollicitando, qvam reſpondendo occupatiſſimus fui: nuper demortuo Phyſico

Rei-

Reipublicae noſtrae haec Sparta mihi commiſſa fuit; ita labores mihi dupli- cantur, nihilominus pergam publicae quoque utilitati & Collegii noſtri incre- mento invigilare. Hac ipſa ſeptima- na porriget Magn. Dn D. Czaſchelius Cubicularius S. C. M. Medicus Impera- tori libellum ſupplicem pro confirma- tione Legum noſtrarum, pro ſuſcipi- endo Patrocinio & qvae alia fuerunt annexa; bonum auguramur eventum, & poſtquam haec Diplomate ex Can- cellaria Imperii fuerunt confirmata, non levis Authoritas accedet Collegio, Col- legisque: ſi qvidam leviores ſumtus ſint faciendi pro ſolutione Diplomatis ex Cancellaria, non dubito, Dnn. Col- legas aliqvos qvoqve Imperiales ſuppe- ditaturos, ne totum onus noſtris ſolis incumbat humeris. Interim Collega- rum Curioſorum nomen in Aula Cae- ſarea apud Magnates non levem hacte- nus meruit gratiam. Qvid Makius Phyſicus Schneebergenſis agat, ſcire deſidero, ne verbulum amplius ſcripſit, unde neceſſarium exiſtimo, ut ab E. T. inqviratur, num Collegio velit amplius

adhaere-

adhaerere, & nomen in Tabula Collegarum ſecundo Tomo annectenda ut addatur concedere : addemus enim Hiſtoriam ortus Collegii Curioſi, Leges correctas & confirmatas cum Diplomate, qvod ex Aula expectamus, & Nomina Collegarum, qvi conſtanter Collegio adhaerere deſiderant. Unde & Dn. D. Rhaetii fratris Tui ſententia erit exqvirenda : ſi non ſingularium conſcriptione, ſaltem Miſcellaneorum auctione, ut Collegae operam dent ſedulam, exoptamus. Vale, Vir Exc. & qvantocyus reſponde.

Uratislav. 16. Maji. 1671.

EPISTOLA LXXVI.

VARIARUM OBSERVATIONUM SYLLOGE.

D. Philipp-Jacob-Sachſio a Lewenheim L. C. F. Garmanno

CHEMNITIO *URATISLAV.*

S. O

ERubui fateor, Vir Nobilisſime, ad amicam Tuam compellationem,

tacitam

tacitam intermiſſae hactenus ſcriptionis exprobrationem involventem. Veniam dares ultro ſi Practicas occupationes, a qvibus interdum vix reſpirare licet, coram videres, ut de curis domeſticis, & laboribus, qvos opuſculis inpoſterum, DEO dante, evulgandis impendere ſoleo, nihil dicam. Tantum igitur abeſt, ut de Academiae noſtrae incremento omnem depoſuerim curam, ut potius omne cum Sachſio Noſtro ſaxum movere decreverim, ſi modo in mea tenuitate qvid eſſet, qvod vel tantillum ad ejusdem ornamentum & incrementum conferre poſſet. Conferam interim id, non qvod volo, ſed qvoad valeo. Huic fini bigam obſervationum una cum primo de Miraculis Mortuorum Libro Buhlio Lipſienſi Nundinis hyemalibus transmiſi, qvae an V. E. oblatae fuerint, dubito; qvod nullam earum in ultimis mentionem factam legerim. Jam ut Veſtrae paream voluntati, qvaedam adhuc ſubjungam. Novi olim Virum doctum, jam pie defunctum, qvi hyemis trigore ſaeviente iter aliqvot horarum eqvo

emenſus

emenſus paralyſin penis incurrit. Succeſſit oppido coitus impotentia, ſalva manente urinae excretione, qvod etiam *Aetius l. 6. c. 35.* obſervavit. Grave fuit illi hoc malum, utpote viro boni habitus, ad qvinqvageſimum vergenti, & praecipue (*vid. Foreſt. l. 10. Obſ. med. 93.*) uxorem habenti. Medicos non infimae notae in conſilium vocarat in principio, ſed nil profecere, manſerat vir optimus, multorum antea liberorum parens

Ineptus thalamis, torive rebus. nterim cum ſuo munere adhuc vaſa permatica fungerentur, reſolutis ſaltem nuſculis aut potius eorum partibus ervoſis tendinibus, nocturnis qviem pollutionibus non tentabaur, ſingulis tamen menſibus tri us aut qvatuor ante plenilunium dibus, calore internarum partium, dore capitis, cum appetitu proſtrato & ntolerabili cutis circa regionem pubis ruritu defatigabatur. Poſt urinam rbidam per diem unum vel alterum ningebat, qvae frigori expoſita, manam partem in materiam albumini vi non abſimilem reſolvebatur, qvae

vero fundo ſcaphii adhaerebat, colon & conſiſtentia lardum referebat. Fuit ſine dubio ſemen, qvamvis pituitam etiam partem conſtituiſſe copia argu at, retentum. Qvod noctu non fuer pollutus, ſingulare, qvodve urinam, praefatos dies excipias, nunquam min xerit turbidam, aut filamentis albis con ſpicuam, qvalem in venereo ſemini profluvio notat *Lommius l. 3. de ſign morb. p.* 287. ſed claram & diaphanam ob partium credo ſpermaticarum con ſtans adhuc robur. An qvotidianu Tabaci uſus, qvo impenſe delectaba tur, conſumſerit portionem humori genitalis, cumprimis aqveam, quo illis qvi fumo paſci amant in ore, no ita liqvet. A modico Tabaci uſu im potentiam fumiſugos non incurrer *Magnenus Exerc. 6. ad Tabac.* §. 10. *p m.* 116. probare contendit, ab immodi co autem uſu ſeminis portionem aqve am & ſpumoſam diſſipari, aeream au tem intenſiorem fieri poſſe non nega (*p.* 117.) Si etiam e cerebro, ut placui *Hippocrati lib. de genitur.* magna par ſeminis deſcenderet ad vaſa genitalia

Tabacum

Tabacum, vi, qua pollet, cerebrum exiccandi, multum ſeminis generationi obſtaret. Narcoticae ipſius facultati (qvam quidem ridet & rejicit *Primeroſius l. 4. de vulg. error. c. 31. p. m. 176.*) aliquid cumprimis dandum exiſtimarem hac in parte, eo modo, uti famem ſedare dicitur. Id namque non facit, ut approbe *Helmontius tr. mortis occaſiones p. 592.* quaſi ſatisfaceret defectui, ſed in quantum defectus ſenſum tollit, ſimulque functionum exercitia. Cur vero circa plenilunium ſemen mejebat? ut ſol Aeri, ita & Luna motricibus aqvis praeſidet, *Helmont. tr. formar. ortus n. 94. p. 120.* reſpondebit. Medullis & oſſibus praeeſt, ſecundum eundem *tr. ignota actio regiminis n. 42. p. 270.* Cerebri in & decremento juxta diverſas phaſes alibi *l. 1. de Mirac. Mort. Tit.* . Tempore novi & plenilunii, venas ſangvine repleri, medullis oſſa, inde concubitum corpori tunc parum officere, concluſit *Lemnius l. 2. de occ. nat. mirac. c. 41. p. m. 263.* Calorem iſtum cephalalgia ſtipatum, febrem dixiſſes aphrodiſiacam, aut potius ſpermati-
 cam.

cam. Cur vero fundum petebat ſca
phii materia ſeminis? eandem urina
inſtar pingvedinis experti, *Lemnius*
l. p. 287. *Hugo Senenſis Conſil.* 74.
64. aut cruſtulae albicantis, ut in prae
paratione Cremoris tartari ſemper &
conſtanter ſupernatare nec ſidere agi
tatam *Henricus ab Heer Obſ.* 18. docue
runt. Aqvoſitatem & id qvod aereum
fuit, forſan ſemini ſubduxit nimius Ta
baci uſus, pondus vero addit pituita
admixtio. Urinae Chyloſae memini
Th. Bartholin. de Hep. def. p. 54. lactea
Rhodius ap. Schneiderum l. 3. *de Cathar*
c. 7. *p.* 266. Symptoma quod Biebe
vulgus vocat, qvo Urina lac fere reprae
ſentans excernitur, *Dravviz. de Scorbu*
Tit. 9. *p.* 377. a Chyli crudi crudi cum
urina miſcela oriri ſtatuit. In noſtr
vero Chylum eſſe abſolvendum, contr
ſemen potiorem feciſſe paginam, cor
poris conſtitutio, ratio morbi & ſym
ptomatum, menſtrua evacuatio evin
cere videntur.

Pariſiis in Palatio linteorum ſutri
vixit teſte *Borello Cent.* 4. *Obſ.* 74. *p.* 33
quae in fronte mentulae figuram gere
ba

-at. De monſtro bicipite, cujus utra-
que facies loco naſi membrum virile
nonſtrabat, evolvatur *Licetus l. 2. de
nonſtr. c. 30. p. 130.* Notabilem ejus-
nodi obſervationem annus elapſus no-
is ſuggeſſit. Sutoris cujusdam fœmi-
a gemellos diverſi ſexus, fœmellam
nortuam, vivum autem puellum pe-
erit. Puellus caetera nil monſtroſi
lens & ſanus uti videbatur, occipiti
nnatum ſacculum figuram priapi, ſeu
aſcini, veteribus φάλλος dicti, appoſi-
e referens geſtabat. Cum igitur ſupi-
us infans cubare non poſſet, ut aperi-
etur ſvadet obſtetrix. Accerſitus Chi-
urgus noſter Theophilus Voigt, ut &
pſe ſimul vocarer, parentibus autor
uit. Sacculum iſtum dum curioſe con-
emplor, humorem in eo fluctuantem
on ſolum deprehendebam, ſed & ea
ranii parte, quia ad ſuctum & vagi-
um erigebatur & extendebatur, qua
nnatus erat, foramen ad ipſum cere-
rum pertingens ſubeſſe rebar. Inde
a ſectione & apertione abſtinerent
ortor, ne mortem aut gravia Sym-
tomata tenello inducerent corpori.

Obſeqvuntur. Elapſo triduo, ſubito extingvitur. Aperto ſacculo, aqvae ſubflavae uncias aliqvot extraximus: in oſſe vero occipitis prope lambdoideam foramen rotundum, cujus peripheriam fig. III. oculis ſubjicit. Et prece & precio, ut a parentibus Cranii apertionem obtineremus, caſus iſte nos ſtimulavit. Sed ſurdis fabulam. Seqventia ſaltem annotanda duxi. (α) Pericranium durae menyngi ſuam debere originem, aperte in iſto foramine deprehendebamus. (β) Nihil de Cerebello apparebat, vacuo in quo latere ſolet ſpatio. (γ) Ductus illos oris ſive foramina duo ad cerebelli ſubſtantiam pertingere, ſtilus patefecit. Problematum curioſorum his ſubjungenda biga. (a) An vere fuerint gemelli? (b) Si ita, cur non ambo eadem excreſcentia fuerint notati?

Pericranium durae matris eſſe progeniem negavit qvidem *Cortesius tr. de vulneribus text.* 20. hoc tamen durae matri eſſe continuum, ſeque in theatro Anatomico ſaepius demonſtraſſe publice *Petrus Marchetti Obſ. Chir.* 16.

p. 44.

. 44. ſcribit. Et ut Horſtium, Spige-
ium, Laurenbergium & alios, qui per
ibras qvasdam ſaltem has membranas
communicare invicem ſtatuunt, refutet
*Th. Bartholin. Anat. Reformat. l. 3. c. 2. p.
m. 308.* eos ad crania infantum, in qvi-
bus oſſa nondum per ſuturas ſerratas
coierunt, ablegat. Fluit inde *Coi* mo-
nitum, *l. de Vuln. Cap. t. 19.* Ad ipſas
ſuturas ſectio non adhibenda. Nocu-
menta recitant *Franc. Peccetius Cœleſti-
nus l. 2. Chirurg. c. 64. p.* 326. *Gvilhelm.
de Salicet. l. 2. c. 1. Marchett. c. l. & alii.*
Dum occiput ſine Cerebello offende-
rem, pronunciatum *Ariſtotelis l. 1. de
Hiſt. anim. c. 7. p. m. 18.* in mentem ve-
niebat: Cerebrum ſincipiti ſubditum
eſt, occiput inane. Qvod cur protu-
lerit, ſe neſcire fatetur Exc. *Strauſius
Donat. Anat. Exerc. 1. §. 16. p. 10.* Conſu-
lantur hic Commentatores.

Tranſiit ſine dubio in liquorem il-
lum ſubflavum, cavitatem illam adim-
plentem Cerebelli ſubſtantia. Princi-
pium Hydrocephali fuit in hoc infante,
ut in illo apud *Zacutum l. 1. prax. mir.
obſ.* 5. puero morbus confirmatus, in cu-

jus aperto cranio nihil cerebri reper-
tum, duplicata tamen craſſa menyn-
viſa, aquam limpidiſſimam , boniqu-
odoris, ſed inſipidam in ſe continens.
De puella ſine cerebro nata Hiſtoriam
promiſit Experientiſſ. Wepferus, qvae
tamen ad manus noſtras nondum per-
venit. Medullae ſpinalis nullum ve-
ſtigium viſui occurrit, an defuerit pla-
ne, an non, ob denegatam accuratio-
rem inquiſitionem dicere non poſſu-
mus. Ductus oris obſervavit *Tulpius*
l.1.Obſ.med.c.35.p.72. qui ipſorum be-
neficio reſpirationem per aures fieri,
quod olim de capris pronunciavit *Alc-
maeon Crotoniates.* Viam hanc eſſe,
cur ſurdi audiant acutius aperto quam
occluſo ore, & quae alia curioſa ibidem
Lectori propinat. Maſticatoria per
hos ductus cerebrum evacuare indubi-
um eſt. Fumum Tabaci itidem ad au-
res, imo & cerebrum pertingere, ſtre-
pitumque aurium obtundere, & cere-
bri pituitam expurgare, in conjecturis.
Quod ad problemata , ſuperfœtatione
inſenſibili, matrem concepiſſe conjici-
mus , non uno coitu hos fœtus, adeo-
que

que proprie ſic dictos gemellos non fu-
iſſe. Cur vero uni turpitudinem affricu-
erit Spiritus ſeminis Mechanici, hario-
lari non ita in proclivi eſt, quocirca
aliis hanc controverſiam diſcutiendam
relinqvimus.

De tophis ſub lingva (an lingvae, an tonſillis aſcribendi, judicet Lector) ſequentem narrationem Dn. D. Joh. Jeremias Rüttörferus, Phyſicus Oppenheimenſis Dn. D. Chriſtoph. Erneſto Stempelio, Practico Annaebergenſi, Amico meo ſingulari transmiſit. Erat Vir conſiſtentis aetatis, huic frequentiſſime poſt vehementiorem maſticationem tonſillae intumeſcere ſolebant, ſine noxa tamen rurſum detumeſcentes. Cum aliquando ſubito in tumorem inſolentiorem elatae, deglutitionem impedirent, ſenſit Vir ille aliquam titillationem circa radicem lingvae, quam ſtatim ſolvit tophus aliquis albicans majoris piſi oblongati magnitudine, quo excreto, levamen aliquod ſenſit, ſed exiguum, donec poſt aliquot horas alius priori colore ſimilis, & conſiſtentia, quantitate tamen minor ſuccede-

 ret,

ret, quo facto, poſt unum vel alterum diem tumor plane evanuit ſine recidiva.

Symptoma illud ſcorbuticum mendaci ſpecie calculum ſiſtens, quod primus ſi recte meinini, *Dravvizius de Scorbut. Tit. 9. p. 346.* delineavit, non ſolum ſcorbuticis ſed & malo hypochondriaco affectis familiare toties animadverti. Scilicet Lien excrementititiam ſaburram ſeu tartarum hypochondriorum per renes evacuare ſolet. Vidit id olim jam *Hipp. l. de morb. intern.* quod tamen non amplectitur *Galenus* 13. *M. M. c.* 17. ob defectum convenientis itineris. Diſputat in hanc ſententiam quaedam *Deusingius Exerc. de alim. depurat.* §. 19. *p.* 152. *& ſeq.* qui videatur. Tartarus iſte ſub ſpecie ſabuli rutilantis ut plurimum in urinae ſubſidentia ſe prodit, in atomos ſubtiles adeo diviſus, ut viſum primo intuitu effugiat. Variis tamen iisque acutis angulis ejusmodi atomos gaudere inde patet, quod lateribus vaſculi vitrei adhaerentes non niſi vi inde ablui poſſunt. Aliquando dum confertim evacuantur, ſangvineum

um prae ſe fert urina colorem. Arenulae iſtae Lieni & partibus vicinis impactae ardorem concitant, ad renes autē ureteres & veſicam delatae, nervoſas nas partes aculeis ſuis vellicant, convelendo torqvent, & tormenta ipſis nephriticis graviora & ſaeviora concitant. Comitem his ſe adjungit Stranguria intolerabilis & continua, partim ab atomis iſtis vellicantibus collum veſicae, partim ab Urina ad aciditatem vergente. Acida autem facile ſtranguriam concitare, *Helmontii* probat Experimentum *tr. pleura furens n.*14. *p.*319. Parum levaminis a Drawizio praeſcripta aegris afferre comperi calidiora diuretica, qualia Spiritus Therebinth. Junip. &c. malum exaſperare experientia docuit. Spiritus ſalis armoniaci strenuum ſe hic praeſtat averruncum, ut & Spir. lumbricorum terreſtrium: Eſſentia itidem Nephritica e ligno Nephritico cum Spir. ſal. armon. & fra- or. extracta. Vehiculi loco Aqu. Peroſel. aut Urtic. in qua Lap. Cryſtalli andefactus extinctus (quam etiam in alculo commendat non ſine cauſa

Strauſi-

Strauſius in Th. Sympath. & Antip. p. 138.) utor felici cum ſucceſſu. Sufficiant haec.

Rhetio ſaepius ſcripſi, ſed nihil reſpondit. Makius Collegio noſtro ſemel datam fidem propediem ut promiſit aliquot Obſervationibus liberabit. Si nomen meum Catalogo Dnn. Collegarum im̃iſcere animo ſedet, ut ante annum factum, Reipubl. Chemnicenſis, ut & diverſarum Praefecturarum Phyſicum me appelles velim, ante annum namque non tantum omnium praefecturarum nomina non fuerunt addita, ſed quod Clavigeros noſtros ex parte male habuit, Reſpublica noſtra penitus fuit omiſſa. Tuum eſt, Vir Nobiliſſime, haec mea boni conſulere. Phyſicatum Patriae Tibi gratulor. Sic DEUS, ſic Patria, ſic merita tua voluerunt. Longum videat Te patria felicem, ſanum, incolumem! Vive Tibi, Tuis, Patriae, Nobis omnibus; utque vere vivere valeas, Vale.

Chemnitii, prid. Cal. Aug. 1671.

EPISTO-

EPISTOLA LXXVII.

AMICA COMPELLATIO. DE SCRIPTIS CURIOSIS QVÆDAM.

D. Joh. Matthiae Neſtero
L. C. F. Garmann
CHEMNITIO BERUTHUM.
S. D. P.

MIraberis forſan, unde mihi animus, quod T. E. tam audacter compellem. Ut nominis Tui ſplendorem, famamque vera praxi medica paratam modo non allegem, amica ſalutatio a Pharmacopœo noſtro oblata frontem ut ponerem, ſtimuli loco fuit. Quid dicam de affectu, quando meas nugas aliquid eſſe putas. Ut mihi ſemper de Eruditorum favore gratulor, ita de Tuo quam maxime, utpote qui inter ſeculi noſtri Eruditos micas, imo emicas. Nullus proinde dubito, quin literarium hoc meum alloqvium boni ſis conſulturus. Meum de Gemellis diſcurſum, quem deſideras, his adjunxi.

Conjeci

Conjeci eundem ut vides, in Acade-
mia adhuc vivens in chartam, qvem
quia eruditis gratum fuiſſe ex eorum
literis non ſemel adverti, auctiorem
duplo & limatiorem propediem in lu-
cem mittere decrevi. Poſterior de
miraculis mortuorum commentario-
lus jam Bibliopolae traditus, ante ver-
nales tamen nundinas vix lucem vide-
bit. Comitatur & has pagellas Inau-
guralis meus diſcurſus, quem pariter
Theoria morborum Embryonis in u-
tero locupletatum aliquando ſiſtam.
Succedent his de plantis monſtroſis,
modo vitam det cœleſtis Archiater, li-
bri tres, maximam partem jam confe-
cti. Annum primum Obſervationum
Curioſarum Academiae noſtrae Curio-
ſae ſine dubio & vidit & perlegit T. E.
De conatu noſtro quid ſentiat, ſi re-
ſpondere grave non fuerit, precor pau-
cis aperiat. Annus ſecundus, ut ex li-
teris Sachſii Noſtri, etiam his nundi-
nis proſtabit. Nec hoc tantum. In
paternis ſcriniis non ſolum, ſed & in
Tuis pluteis multas raras utilesque Ob-
ſervationes latitare nullus haeſito. cum
& beatus

& beatus Parens ut Neſtor Agamemnonem, multos olim βουλῇ καὶ μύθοισι aegrotos reſtituerit,& T. E. adhuc qvotidie reſtituat. Quo igitur a Veſtro jubare & noſtri radient conatus, publici gratia nobiscum easdem communicare ut non gravetur, enixe voveo. Vale Nobiliſſ. Neſtor, & Neſtoris inſtar Pylii

Exemplum vitae ſis a Cornice ſecundae.

Chemnitii, d. 22. Septembr. 1671.

EPISTOLA LXXVIII.

DE COLLEGIO CURIOSO.

D. Philipp-Jacob-Sachſius a Lewenheim

L. C. F. Garmanno

VRATISLAV. *CHEMNITIUM.*

S. P.

POſteriores Tuas rarisſimis qvibusdam Obſervationibus refertas,cum tripudio excepi, ſed quod ſerius aliqvantulum appuliſſent, finito jam ſecundo labore, pro tertio reſervatae fuerunt

erunt Anno, non minus quam Exc. Dn
G. Hieron. Velſchii, & Dn. D. Majori
quae uno eodemque die mira fœcun
ditate & jucunditate oblatae fuerunt
Interim priores binae ante dimidium
annum transmiſſae, ſecundo Anno in
ſertae fuerunt. Impenſe gaudeo Dn
D. Majorem ſerio ad noſtra caſtra, viſi
Primo Ephemeridum Anno, revert
nec dubito, emiſſo nunc his Autumna
libus Nundinis ſecundo labore, proli
xiorem in dies meſſem futuram. De
dicatio rurſus S. C. M. facta eſt, eam ol
cauſam, ut per Diploma aliquod Con
firmatio fiat Academiae noſtrae, & Au
thoritas inde accedat. Nuperrime cum
ſupremus Regni Bohemiae Cancellari
us Dn. Comes Noſtitius tanqvam Le
gatus Caeſareus Electioni novi Epiſco
pi Uratisl. in noſtra Urbe haereret, &
valetudine aliqua affligeretur ſiniſtra
me conſuluit: opportunam ego nactus
occaſionem, totum negotium adeo com-
mendavi, ut de felici exitu non ſit de-
ſperandum. Pariter per Patronos in
Aula Caeſarea tentavi animum Vice-
Cancellarii Imperii Dn. Comitis de Ko-
nigſek

nigſek circa hoc negotium,& nihil non
tentabo , ut optatum demum ſcopum
aſſeqvi liceat. Addidi ſecundo Anno
Hiſtoriam Ortus Collegii noſtri, varia
ſummorum Virorum & Exterorum
quoque judicia de praeſenti noſtro in-
ſtituto ; Leges reformatas,demumqve
Tabulam Dnn. Collegarum. Addidi
electum ſelectiſſimorum librorum Phy-
ſico-Medicorum intra pentadem anno-
rum editorum Catalogum, unde ex hoc
labore Eruditi videbunt, quaenam in-
crementa unico ſumſerit anno. Plu-
rima & majora adhuc ſperanda, ſi re-
liqvi Dnn. Collegae & inpoſterum qvo-
que acceſſuri fideliter nobiſcum labo-
res ſuos ſint conjuncturi. Ego ha-
ctenus multum inſumſi laboris tot prae-
cipue literis exarandis, & video vires
meas tot laboribus frangi , ſicuti haec
inter dolores nephriticos titubante re-
cenſere ſoleo calamo, nihilominus ſpe-
ro E. T. reliquosque Dnn. Collegas,
aliosque Germanicae gloriae Æſtima-
tores in ſemel calcata via ſtrenue per-
recturos; ego qvam diu DEUS vitam
concesſerit , ab hoc labore non deſi-
Y ſtam,

ſtam, uti jam Tertii Anni telae perte-
xendae gratia lineae ductae ſunt.

Tu Vir Exc. ſtrenue qua polles in-
genii abundantia & felicitate ulterius aſ-
ſiſte, leviuſculum hoc adjectum charta-
ceum donum boni conſule, brevi re-
ſcribe & Vale.

Uratislaviae, 25. Septembr.
1671. aegra manu.

EPISTOLA LXXIX.

DE CURIOSORUM
LABORE JUDICIUM.

D. Joh. Matthias Neſterus
L. C. F. Garmanno
BERUTHO *CHEMNITIUM*
S. D. P.

PRenſatione Tua amica Nobiliſſ. a-
Excellentiſſ. Vir, Domine ac Ami-
ce exoptatiſſime, nihil mihi jucund-
us accidere potuit: eoque injurius ſim
non tam in communes Muſas, quam
in naturam ipſam, ſi tam prolixam vo-
luntatem tuam & honeſtisſimum deſi-
derium

ſterium refutem. Qvanqvam enim quae temporum noſtrorum infelicitas & ingeniorum ſcaevitas eſt, fucata hodie ſint pleraque ac amicitiae non admodum ſancte colantur paſſim: inprimis etiam meum hoc fatum ſit, quod pro ſincero amore odia ſubinde experiar atque occultas ſimultates: aliud tamen de Te ſperare, & verbis facta fidem factura eſſe, nullus dubito. De me quid magnifice promittam, non habeo: dicant quam conſtanter & ſincere qvos ſemel amplexus ſum illi, qui me proprius moverunt, ac uſum amicitiae meae aliquem habuerunt. Faxo etiam & curabo ſedulo, ne quid in me deſiderare jure poſſis. Potius favorem tuum qvibusvis artibus, officiis & comitate conſervare ſtudebo. Diſcurſum tuum de Gemellis, quem hactenus anxie deſideravi, commode accepi avideque perlegi, pro quo transmiſſo gratias habeo: ſuo tempore & loco ero etiam gratus. Eruditus Tractatus de Miraculis Mortuorum impenſe me delectavit, inprimis perhonorificum ex animo, quod in iſtius praefatione honorificam beatiſſimi Dn. Parentis mei

 men-

mentionem feciſti, pro qua ſane,ut d
beo gratias ago prolixisſimas , ſim
ac rogo, ut operam des, quo poſteri
pars, cum typorum operis, ſub qvib
gemit, uti ſcribis, fuerit abſoluta , a
me transferatur: Reponetur cum pri
re inter κειμήλια mea vel primore loc
Annum primum Obſervationum Cu
oſarum Academiae Veſtrae Curioſa
ut & omnia ſcripta, quae a Nob. Sach
ſio, Bauſchio & aliis in lucem edi
ſunt, mihi dudum comparavi, & pe
legi. Elegantisſima ſunt omnia V
ſtra & cedro digna; iis enim mirific
delector & adjuvor, ac nihil credo av
dioribus oculis unqvam uſurpari poſſ
Loqvor ex animo, nec ingenium m
hi factum ad aſſentandum, ſed cand
dum. Annum ſecundum nondum v
di. Lipſia autem eum cottidie expect
Laudabilem & nunquam ſatis deprae
dicandam Vos mihi inſumere videm
ni operam, quod colligendis hiſce ob
ſervationibus raris toto pectore cur
ctisque nervis incumbitis unice , qu
varii hi caſus, qui hactenus in tenebr
plus quam Cimmeriis latitavere, ad u
ſur

um artis noſtrae aperiantur, ac in lu-
em proferantur, ſicque antiqvisſimae
c utilisſimae huic arti poſtliminio qva-
nativus ſuus reſtituatur vigor, atque
itor priſtinus reddatur. Pro qua in-
gni cura ac meritis in rem Medicam
raviſſimis non exiguas aliquando gra-
as poſteritas, ſi qva futura eſt, Vobis
icet.

Binos tuos diſcurſus unum de mor-
is Embryonis in utero, alterum de
lantis monſtroſis, videre ambio; Ea
ropter ſi illos, quamprimum lucem
ſpexerint, & ſi qvid aliud jam prodi-
rit, mihi tramittendos cures, ac unius-
ujuslibet pretium adſcribas, inter vo-
mea faſtigium eſſet: Lubenti animo
lvam pretium, ac redhoſtiam qua &
uando potero ἐπ' ἀληθείας. Haec nunc
tui inter ſervitia aulica. Bene vale,
ir Excell. ac ſubitae atque ſubidae
riptioni huic ignoſcentiam indulge
s, & amicitiam feliciter inceptam cre-
ritate literarum continuare haut deſi-
e. Pharmacopœum Veſtratem, ma-
uelem meum carisſimum, plurimum
eis verbis ſalvere jubebis, ni grave

 erit

erit hoc officium, & ut ad meas reſpon
deat, aurem vellicabis. Qvid Adjunctu
Veſter D. Elias Schmidt ſcripſerit, ſcir
aveo; non memini me aliquid de eju
ſcriptis unqvam vidiſſe : idcirco u
qvamprimum me certiorem facias, eti
am atque etiam rogo. Iterum optim
Vale, mi optime Garmanne, & me Tu
um cenſe.

Beruthi, d. 10. Octobr. 1671.

EPISTOLA LXXX.

DE MIRACULIS MORTUO RUM. DE MEDICAMENTIS SCORBUTICIS.

D. Godofredus Schulzius
L. C. F. Garmanno
ISLEBIO *CHEMNITIUM*
S. D.

Literas tuas una opera legi, Vir Ex
cell. quas ad Clariſſimum Cammen
hoſium expreſſit antiqvior pietas & be
nevolentia, qvam diſcentes docenti
bus & ſuae juventutis formatoribu
etiam multos retro annos debent: Ne
non

non fœtum Ingenii tui, MIRACULA MORTUORUM, per aliquam temporis moram non ſine effuſa animi laetitia perluſtravi. In utroque monumento apparent ſtricturae ſubactae mentis, teſtimonio ſatis firmo, nihil induſtriae hujus autoris pragmatici & activi, Qvintiliana voce, tam arduum eſſe, quin jactis primordiis perfici, & circulus operis multarumque rerum compleri queat. Proinde ſtetit animo meo ſententia, literis praeeuntibus devovere me illius Viri amicitiae, cujus Ingenium congruere vidi cum Virtute & Scientia Doctiorum, qui nihil mediocriter cupiunt, ſed concitatiori greſſu ad virtutem ſepulchri expertem ſeu Nominis Immortalitatem feruntur. Neque enim aliud quaero aetatis noſtrae vegetioris oblectamentum, quam Viros in ſanctiori Medicina ſolide verſatos, coram ac in literis & monumentis venerari, quae animum diſcendi cupidum & connatam famem ſaturare noveunt. Honeſta haec ambitio eſt, qva amicitiam & favorem conciliare mihi hoc epiſtolii genere non ſuppuduit,

quam quoque Tu Vir Excell. non mo-
leſte ferens una tibi perſvadebis , me
gloriae famaeque tuae, cujus αὔξησιν ex
aſciatae curae erudito Orbi conſecra-
tae promittunt, indefeſſum Cultorem
& propagatorem fore ; Videris enim
mihi, ſi campus dabitur porro, in quo
tota vis Induſtriae tuae decurrere & ex
ſpatiari poſſit, nihil non auſurus, cum
verae & invidendae laudis incremento.
Interea, quia mentionem feciſti Medi-
cinae cujusdam anti-ſcorbuticae Kei-
lingianae, cujus qvidem nomenclatura
& energia his in oris me hactenus la-
tuit, occaſionem arripui, ut quas non
ita pridem in publicum emiſi, Medita-
tiones ſcorbuticas, ſimul mitterem, ſi
forte, quo perfixus es deſiderio tuo in-
ſerviendi proximo, aliqua ex parte fie-
ri poſſit ſatis, uterque autem inpoſte-
rum gratam forte ſcribendi materiam
obtineat. Nullus hic fere morbus ſe
ſiſtit Therapiis noſtris, cui non impli-
cita ſit horrenda Scorbuti labes, plera-
rumque regionum & urbium commu-
ni fato. Optimis & ſecretioribus An-
tiſcorbuticis non fruſtra obviam imus
opem

ɔpem noſtram implorantibus, quam-
vis aegri non omnibus diebus pari fre-
quentia noſtras advolent aedes, quae
evitas eſt & ignorantia ſeculi noſtri, ut
vice haud ſimplici μεϑοικεσίαν inſtituere
nimus fuerit, cum vitam practicam
heoreticae praeferam, & annoſa theo-
ia ſine uberiori Praxi nullum merea-
ur calculum; utraque autem ſi diligen-
ia indefeſſa floreat, haec demum eſt
era felicitas & accuratio medica, li-
et Dii non vendant has delicias ſine
nagno labore. Tu vero, Vir Exc. bo-
i conſule noſtram ad Te ſcribendi au-
entiam, & jam inveteratam literato-
um conſvetudinem, qua vel maxime
iſſitos & antea nunquam viſos, aſt u-
ique terrarum fama praeſentes, in ſu-
m vocant amicabilem notitiam & fa-
ɔrem. Et ſi noſtris Muſis favere po-
ris, & adeſſe, nec non illas aliqua in
adjuvare, juva. Silens quoque hic
erſolve, Tuumque elimati judicii mo-
umentum ne invide.

Islebii, d. 7. Novembr. 1671.

EPISTOLA LXXXI.

DE EPHEMERIDIBUS GERMANICIS.

D. Philipp-Jacob-Sachſius
a Lewenheim
L. C. F. Garmanno

URATISLAV. *CHEMNITIUM*

S. P.

Miror maximopere reſponſoriarum Tuarum tarditatem! Miſeram praeteritis nundinis Uratislav. per Schneebergenſem qvendam Myropolam & Ungventarium Jacob Tröger nomine Schneebergam reducem & Exc. T. & D. Makio noſtro literas, qvibus comitem adjunxeram effigiem meam aeri inciſam, Amici cujusdam Lipſienſis munificentia mihi donatam: ſed cum hiſce novis nundinis nullae redierint literae, nec occaſione nundinarum Lipſienſium ullae ad me ex Chemnitio aut Schneeberga remearint reſponſoriae, haec res me valde tenet ſolicitum,

tum, quaſi nova Conjugii novi flamma imminuerit aliquantulum amicitiae collegialiter juratae faces. Sane poſteaquam Academiae noſtrae nomen Germaniae limites egreſſum Exteris ſeſe primum conſpiciendum exhibuit, urgendus ille eſſet impetus in dies, & conjunctis viribus absque omni aemulatione & invidia propellendus ab omnibus Dnn. Collegis, ſic Germanicae gloriae & comodo, cui unice litamus, optime conſuleretur. Et ſecundo Tomo Exterorum favorem aucupari jam dum conceſſum fuiſſet, niſi novercans fortuna SculptoremNoribergenſem nobis obtuliſſet tam negligentem & tardigradum, ut finito jam a binis menſibus Typographi labore, ſola Sculptoris negligentia tardaret operis publicationem, quam intra menſem futuram ſperamus, ſuſceptis e Noriberga Tabulis; procraſtinatio tamen illa maxime remorari videtur optatum Collegii curſum. Agedum Exc. Dn. Collega, perge uti cœpiſti nobiſcum inpoſterum conſociare labores, nec moveant quidam Germani Medici, qui neſcio qua de

de cauſa in novas factiones transire, novumque in Germania Collegium Medicum Experimentale erigere deſiderarunt, & erexiſſent, niſi Viri (quem pro Patrono elegerant) Prudentia in prima herba illud ſopire tentaſſet. Ego ſane, (ex Germano loquor candore) hactenus potius totius Societatis, quam meum quaeſivi commodum: ſi tam difficile ſtabilitam ſemel Societatem firmare, quam difficile erit erigere poſſe novam, cujus fundamenta ſint certo duratura. Ad Tertium Annum edendum jam horrea ſunt inſtructa, & tertio itineri nos ſecure committemus Excell. Medic. & Patronorum ſubſidiis muniti: ſi qui alii cultiora & curioſiora largiri poterunt, gratulabimur Orbi, eos exempla Academiae Naturae Curioſorum imitatos, noſtra veſtigia relegiſſe: Tu Vir Excell. etiam Tuam exornabis ſpartam, & Collegae Curioſi Nomen re ipſa comprobabis. Vale & quantocyus reſcribe.

Uratislav. 30. Novembr. 1671.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXII.

SILENTII EXCUSATIO. HOMO EX OVO. DE COLLEGIO NOVO EXPERIMENTALI. IN SACHSII EFFIGIEM EPIGRAMMA.

D. Philipp-Jacob-Sachſio a Lewenheim

L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *URATISLAV.*

S. O.

UT ſemper frequentia Tuarum mire afficior, ita doleo ſummopere, quod de tarditate mearum ſaepius ut conqueraris in cauſa ſim. Optavi dudum, & adhuc opto, quo Tecum & Tui ſimilibus, h. e. doctis, candidis, & probatis ſaepius literarum commercia agere poſſim, ſed officii ratio & occaſionis lubricitas ut animi deſideria protelare cogar, imperant. Variolae & morbilli qui per aliquot menſes noſtros flagellarunt, & adhuc flagellant, omne literis exarandis alias dicatum tempus hactenus

nus ſubtraxere. Non dicam, quod aliquando etiam noctu quieti non fuerit tempus. Interim ne ex intermisſione literarum in Academiam noſtram tepidiorem affectum & propenſionem aeſtimes, rogo. Idem ſemper eſt animus, eritque dum vivam. Quod ut firmiter Tibi perſvaderes, Hominem meum ex Ovo nuper evulgatum ſiſto, Gemelli etiam noſtri aucti & reformati cum altero de Miraculis Mortuorum libro prelum praeſtolantur, modo illis non deſit Bibliopola, non niſi in libros Germanicos & Poſtillas ſumtus conferens. Obſervationes novas his includere tempus non permiſit, futuris tamen nundinis harum ad Vos properabit Sylloge. De Collegio novo Experimentali nihil mihi conſtat, nec ut ſucceſſum ſperent Patronorum raritas facit. Tu Vir Nobiliſſ. cum nominis Tui immortalitate qvod hactenus triviſti iter, terere pergas, & hoc ut poſſis, vires & facultates, Fautores & Patronos Summi Numinis largiatur Clementia.

Chemnitii, d. 20. Jan. 1672.

P. S.

P. S. Pro transmiſſo E. V. Icone gratias ago prolixas. Gratulor mihi, quod quem hactenus in literis & ſcriptis vidi SACHSIUM, aeri artificioſe inſculptum cernere poſſum. Debiti cultus ſymbolum ſequens infelix crena ſubjecit extemporaneum:

En SACHSIUS nobis videndus ſiſtitur,
Dum SACHSIUM dico meum, dico omnia,
Mentem bonam, ingenium ſagax, Cœlo aemulum
Pectus, vacantem omni labore Spiritum.
Quid Zeuxis hic? delineare SACHSIUM
Nemo valebit praeter ipſum SACHSIUM.

EPISTOLA LXXXIII.

DE OVO HUMANO.

D. Michaeli Etmüllero
L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *LIPSIAM.*

S. D.

QUievit hactenus calamus officioſus

ſus variis occupationibus cum dome-
ſticis, tum practicis alio diſtractus, jam
mente ad ſerenitatem compoſita, anti-
qvum reſumere, viroſque doctos & cu-
rioſos ad officium ſolicitare geſtit. In-
ter hos vero cum T. E. non immerito
numerem, ab ovo primordium, lauda-
bile Romanorum inſtitutum ſecutus, ca-
pere volui. Ab ovo, inqvam, ſed hu-
mano, quod non ita pridem docto Or-
bi propalavit Curioſus Kerkringius.
De eo ut meam aperirem ſententiam
aliquoties hactenus hortati amicorum
quidam curioſitatum harum amaſii, qvi-
bus dum obtempero, praeſens enata
eſt Diſſertatio. Hanc ut perlegere di-
gnetur T. Exc. quidve in ea deſideret
candide, qvod etiam ab aliis Viris do-
ctis expecto, moneat, voveo. Quid
Angliae, Galliae aut Belgii Curioſi ha-
ctenus tentarint, quasve luci dederint
curioſitates, ſcire aveo, a T. vero E.
harum ſtudioſisſima, cur non expectem?
Collegium novum Experimentale
quosdam e noſtris meditari fama ad
nos pervenit. Quid T. E. de hoc in-
notuerit, paucis indicet. Interea va-
le.

e, Vir Excellentiſſ. mihique favere perge.

Chemnitii, d. 21. Jan. 1672.

EPISTOLA LXXXIV.
RESPONSORIA AD PRÆCEDENTEM
D. Michaelis Etmülleri
IPSIA CHEMNITIUM.

HIlari fronte manuque amicisſimas Tuas accepi literas, plenas amo s & benevolentiae. Pro transmiſſa mul exercitatione de Ovo, decentes go gratias; perplacuit eadem, ſicut mnia, quae a fœcundo Tuo elabora ſunt ingenio. Res eſt curioſa conſi eratio horum ovorum, vidimus ſae ius ego & D. Bohnius in diſſectioni is publicis ſubjectorum fœminino m, exacte conveniunt cum deſcripti ne Kerkringiana, inprimis autem nt conſpicua, ſi integer teſticulus in vam ferventem immittatur, ſic enim a brevi poſt in albuminis indurati

abeunt conſiſtentiam, ut levi teſtis in-
ciſione & compreſſione vel ſponte exi-
liant. Superiori anno in teſte cujus-
dam infanticidae plus quam viginti in-
venimus talia ovula, diſtinctae tamen
magnitudinis, quaedam milii ſaltem
grani ad inſtar, quaedam majora, qvae-
dam perfectae magnitudinis, quae per-
fecta ova in medio teſtis, illa quaſi im-
perfecta ſaltem ejus ambitum occupa-
bant. Liqvorem contentum ſemper
obſervavimus ſimplicem, duplicem
ejus diverſitatem nunqvam obſervar
licuit. Quid novi in re literaria alia
Nationes nunc agant, eqvidem neſcio
quia futuris nundinis nova nonnull
proditura expectamus. Collegium
quoddam novum Experimentale a no-
ſtris inſtituendum, ut ſcribis, novu
mihi fuit nuncius, de quo alias nihil ad-
huc compertum habui. Sachsiu
noſter praematuro fato abreptus, nobis-
que lethali morbo ereptus eſt: triſtem
equidem ſempiternam tamen ſui nob
relinqvens memoriam : remitto erg
quae Ipſi transmittendae erant litera
Caeterũ ut pro transmiſſa diſſertatio

an

animi ſaltem oſtendam gratitudinem, en praeſentes ſe ſiſtunt aliquot exercitationes Academicae, quibus amico oculo favere velis, quin & ſimul mihi, qui Te optime valere jubeo.

Lipſiae, d. 25. Jan. 1672.

EPISTOLA LXXXV.

DE OVO HUMANO ET SPIRITU MUNDI.

D. Godofredo Schulzio
L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *ISLEBIUM.*

S. D.

TUa prenſatione amica & docta quid mihi jucundius gratiusve accidere potuiſſet? Nihil praeter affectum in ſeveriores reconditae Phyſicae & Medicinae ſcrutatores Tuae muſteae, praeter exaſciatam doctrinam nihil. Ambabus igitur ulnis eaſdem amplexus illic repoſui, quo ab Amicis transmiſſas reponere ſoleo. Hoc ſaltem vellem, parciori meritorum & doctrinae meae, quae Tuae & reliqvorum

Doctorum Virorum comparata nulla fere, encomio easdem inſtruxiſſes. Quae molior, quae tento, non amore laudis & famae, ſed veritatis molior, quidque valeant humeri, optime mihi conſcius. Tuae vero Diſſertationes transmiſſae Phœbum ſpirant, nosque de Te magna ſperare jubent & altiora. Adſit Tibi DEUS, praeſto ſint Patroni, Tu nec Tibi nec nobis deeris. Pro transmiſſis uti grates refero, ita reciproci affectus his incluſi ſigilla, Inauguralem meam, meam itidem de ovo humano Diſſertationem, ambas inter varias natas occupationes, variis Paradoxis inſtructas ambas, Priorem mos in Academiis, ut ſcis, ſolennis extorſit; Curioſitas, cui ſemel nomen & fidem dedi, alteram. De hujus Paradoxo quid ſentias, candide, ſi placet, aperi, labantemque fulci, idem ab aliis viris doctis expecto. Et quia profundisſimae doctrinae & magnae experientiae quondam Philoſophi & Medici Dn. D. Andreae Nitneri p. m. Filiam, Summo ſic providente, in ſvavisſimam vitae ſociam Tibi junctam inaudivi, ejus de

de Spiritu Mundi ſcripto, quia in Bibliopoliis amplius non proſtat, ſi illius forſan Tibi copia ſit, hac occaſione meum delinias deſiderium, in votis habeo. Innotuit ſine dubio & Tibi modus, quo Spiritum iſtum, ut ita loquar, incarcerare, & poſtmodum in uſum medicum convertere valuit, magno Doctorum ſtupore. Quod ſi Tibi me devincire amplius geſtias, & forſan totum proceſſum aperire myſterii ratio prohibet, ſaltem umbram hujus aliquantiſper delineare ne graveris. De fide ne dubites mea, nec de ſilentio, omnia mea viciſſim, ut etiam alias, Tibi patebunt. Τὰ ἱερὰ ἱεροῖς. Vale Vir Excell. crebriorique alloquio affectum ventilare perge.

Chemnitii, d. 27. Januar. 1672.

EPISTOLA LXXXVI.
DE SCRIPTIS CURIOSORUM.

D. Joh. Matthiae Neſtero
L. C. F. Garmann
CHEMNITIO *BERUTHUM.*
S. O.

ME vero felicem, quod primis meis

 ad

ad V. E. datis ſcopum praefixum ad votum conſecutus ſum. Favorem & amicitiam Veſtram iis ambibam, & ecce prolixum affectum conteſtantes ad me remeant Veſtrae reſponſoriae. Id vero non meo merito, ſed Veſtrae debeo proclivitati humanitatique. Interim grates V. E. refero de gratioſo in Academiam noſtram affectu, quem utique magni aeſtimamus, cum a tali proficiſcatur, qui τέχνῃ καὶ τύχῃ ſummus de rebus Phyſicis & Medicis accuratum ferre judicium & ſcit & didicit. Quod autem meas nugas aliquid eſſe putat, in eo aut indulſit affectui, aut ne animum deſpondeam penitus ſaltem calcar addere voluit. Dudum mecum habitare didici, nec, quam ſit mihi curta ſupellex, me latet. Interim hactenus quaedam luci donavi, ut non tam Doctorum expectationi ſatisfacerem, quam laudabili Academiae noſtrae inſtituto, & inprimis crebrioribus Dnn. Collegarum monitis. His & praeſens de Ovo Humano Diſſertatio debebitur, quam evulgare auſus, non ut materiam hanc abſtruſam ſane ac-

curate

curate dilucidarem, ſed potius eruditorum ſuper hac ſententias & placita colligerem, & tacite ſolicitarem. Hanc igitur ut perlegere dignetur V. E. titubantemque monere, eſt quod enixe precor. Dn. D. Schmidius hactenus nihil, quod ſcio, in publicum miſit, in eo autem fuit, ut Martis naturam excuteret, tractatumque de ferro, cujus olim Anatomiam anno 1658. ſub praeſidio Dn. D. Michaelis Lipſiae publicae ventilationi ſubjecit, luci ſiſteret, quem avide propediem expectamus. Crocologiam non ita pridem Dn. D. Hertodius, & ſal volatile Plantarum Dn. D. Wedelius promulgarunt e Noſtris, qvorum poſterior de ſale volatili Experimenta & curioſam de ſale ammoniaco diatriben ſubjunget. Ego in Oologia pergere, & de Ovo brutorum & vegetabilium aliquando prolixius in animum induxi. Veſtram vero Excellentiam ne obſervationes ſuas nobis invideat, oro ut exorem. Hoc namque facto, & Noſtram Academiam, & omnes Curioſitatum Phyſico-Medicarum amaſios ſibi devinciet. Quod ut

valeas, Vir Exc. vale, meque inter Tuos habere perge.

Chemnitii, d. 28. Jan. 1672.

P. S. Dum praeſentes obſignare intendo, literae Dn. D. Mich. Etmülleri Lipſia ad me properant, magnum Academiae noſtrae praeſidium & decus Dn. D. Sachſium Uratislaviae placide diem ſuum obiiſſe, notificantes.

EPISTOLA LXXXVII.

SACHSII MORS.

D. Henricus Vollgnad
et
D. Johannes Jaeniſius
L. C. F. Garmanno
URATISLAVIA CHEMNITIUM.
S. D. P.

PRaemature nimis PHOSPHORUM Noſtrum ſub Orbis literati Horizontem occidiſſe, ſi Vir Excell. non percepiſti, hiſce id nolentes volentes ſignificare officii noſtri eſſe duximus. Dies erat 7. Januarii, quo morbo complicato

licato praeprimis e Scorbuti proſapia
rto viribus ad incitas lento gradu re-
actis animam Creatori ſuo placidisſi-
ne reddere cogebatur. Specialius de
norte & in eviſceratione obſervatis
npoſterum, jam temporis auguſtia ex-
luſi, brevibus ſaltem T. E. intimare
oluimus, ne exiſtimet Continuatio-
em Ephemeridum tertii Anni ſic eti-
n intermorituram, ſed Clariſſimum
hoſphorum nobis huic labori per bi-
nnium jam adſvetis quaſi ex ultima
ıa voluntate & Teſtamenti loco deman-
aſſe ſciat, quo hunc laborem continu-
ndo, Academ. Nat. Curioſ. totiusque
ationis Germanicae gloriam & emo-
mentum promoveremus. Propri-
m non qvaerimus gloriam, DEUM te-
amur, ſed ne reſpondendi negotium
rbetur, ſi alius locus Collectioni E-
hemeridum deſignandus eſſet, quia
c locus vix omnibus, praeprimis Ex-
ris cognitus factus eſt: Ea propter,
agnifico Praeſide hoc non renuente,
ertii Anni Ephemerides jam tum col-
gere bono cum DEO incepimus, &
abunde ex omnibus fere Europae

 parti-

partibus Viri Magni Nominis & Cla
ſuas miſerunt, & mittendas ſanctè pr
miſerunt Obſervationes. Cum aute
T. E. omnibus Collegis diligentia ſ
palmam fecerit dubiam', eapropter
inpoſterum Academiae emolumentu
T. E. promoturam, nobisque ſua O
ſervata communicaturam nulli dubit
mus, DEUS excitet caeterorum Dn
Collegarum diligentiam, conſervet E
tronos, largiatur nobis vires. Eph
merides ſecundi Anni jam complet
proxima ſeptimana Caeſaream intr
bunt Aulam, quonam fato tempus ap
riet. Interim DEO commendatu
Vale cum Tuis & fave.

Uratislav. d. 6. Febr. 1672.

P. S. Epicedium quo funus D
D. Sachſii celebrare conati ſumus, ut
Collegae deſideratisſimi recordati
nem ſuſcipiatur benevola manu,
quod obnixe rogamus.

El

EPISTOLA LXXXVIII.

DE OVO HUMANO. MIRA SATYRIASIS. MELANCHOLICÆ. EPISCOPI BAMBERGENSIS EXENTERATIO. IN MEDICOS SCOMMA.

D. Joh. Matthias Neſterus
L. C. F. Garmanno
ERUTHO CHEMNITIUM.
S. D.

SVaviſſimae Tuae, Nobiliſſ. & Excellent. Vir, Fautor atque Amice honoratiſſime, mihi fuerunt valde gratae, utpote quae plenae amoris ac notis ſummae humanitatis perqvam inſignes. ab eo ſunt profectae, cujus raram juxta ac variam doctrinam hactenus ſum admiratus, atque ſemper permagni feci, cui quoque unice in optatis habui innoteſcere. Bene itaque eſt, jacta ſunt fundamenta amicitiae, cujus jura omni religione colam, dum vivam. Eruditiſſimus Diſcurſus tuus de Ovo humano, pro quo transmiſſo gratias debeo habeo-

habeoque maximas, mirifice me de
ctavit; multa in eô inveni, quae m
libi videre mihi contigit : ideo de
vere pronunciare poſſum, nemin
fere mortalium in Germania noſtra
vere, qui in hac materia aut plura n
docuerit, aut omnes docere poſſit.
circo ut, quo animum induxiſti, de
vo brutorum & vegetabilium prolix
perorare ſtrenue pergas, ac futu
nundinis haec Ova una cum Libro
cundo de Miraculis Mortuorum luce
ut adſpiciant, procures, oro hortorq
καίπερ σπεύδοντα ὀτρύνων. Cupidisſim
enim ſum & incredibili deſiderio fl
gro talia videre. Sunt namque omn
tua περισσότατα ac prorſus elegantiſſim
ſupraque quam dici poteſt a me aeſ
mantur: Et hoc meum judicium ἀ
πάθως ad varios, qvibus cum literar
mihi necesſitudo intercedit, occaſio
qvavis perſcribo. Hactenus annu
primum (alterum a Bibliopola Nor
bergenſi hac ſeptimana expecto) Eph
meridum Curioſarum Illuſtris Veſtr
Academiae non ſine ſingulari volupt
te ac fructu perlegi, inque iis nonnu
la

; inveni Obſervationes, de quibus
ihi antehac notitia. Inprimis cum
miratione legi, quod tam variae ac
irae dentur hominum erga res vari-
Antipathiae vel Sympathiae.

Novi Virum doctiſſimum mihi-
e familiariſſimum, quem honoris er-
nominare omittam, qui quoties in
hola vel alibi puerum qvendam ca-
gare, braccas detrahere ac ferulis cae-
re videt, illumque plorantem audit,
ies ſine membri virilis tenſione at-
e tentigine ſemen copioſisſime eja-
lare cogitur, tanta animi commotio-
, ac ſi in lipothymiam incidere debe-
, quod etiam ei dormienti ſaepius
idit, quando hac de re ſomniat. Iſte
datus Vir tantam etiam nauſeam a
gis, malis cotoneis, aliisque pomis
rcipit, ut illa ſine anxietate ac per-
bation neque aſpicere, neque odo-
n eorum ferre poſſit: imo & quod
gis mirandum, adeo ea averſatur, ut
i in domo abſcondita latent & ab eo
n videntur, tamen iſta olfaciat. Un-
vero cauſa hujus faſtidii ac ſeminis
iſſionis ortum habeat, an ad Idio-
ſyncra-

ſyncraſian & peculiarem ventriculi co
ſtitutionem a primo ortu contract
referenda, ſcire aveo. Fac, ni gra
erit, mihi Tui ſuper hac re judicii
piam.

Nuper vocatus fui ad Nobilem vi
ginem, quae per annum fere integru
melancholia taciturna detenta fuit „
poſtea exhibito a me Extr. Diaco
cynth. in jure prunorum diſſoluto, pra
ter omnem ſpem & expectationem
ſanam mentem rediit, ac Confesſi
narium ad ſe accerſiri fecit, qvem a
tea non videre, nedum audire volu
per alvum cum murmurationibus
magna copia materiam morbificam
trudebat, cujus excrementa tota m
coſa & pituitoſa, atque adeo lenta
viſcida erant, ut in altum longe exte
di potuerint. Poſtqvam paululum
ſe rediret, corpus totum humore at
& melancholico refertum eſſe putab
ac propterea alvi excrementa ſedulo i
ſpiciebat, qvibus excretis atramentu
ſcriptorium infundi ac permiſceri c
ravi. Sic memini Anno 1656. cum A
tenburgi Serenisſimae Principis Med

us ordinarius eſſem, accidit, ut hone-
:i cujusdam Viri uxor, natura & con-
:itutione corporis melancholica atque
:erilis, die qvodam ſereno in ſilvulam
el lucum prope hortum aulicum ex-
patiaretur canicula comitata, forte
ortuna ex Arce adveniente Principe,
ui tamen illam non viderat, ſed ſolum
anem feras inſectantem, qvem pro-
terea ſclopeto trajici curavit; ex quo
ctu perterrita mulier, aliqvid grave ſe
ommiſiſſe, ſe in mala Principis gratia
ſſe, quod in locum illum deambulaſ-
et, ac propterea ad capitis ſupplicium
amnatam eſſe, falſo ſibi imaginabatur;
uo delirio noctes diesque vexabatur,
on precibus, nec minis ſibi aliud per-
vaderi paſſa, expectans ſubinde carni-
ices atque lictores (quos Venatores ex
dverſo habitantes eſſe putabat) ven-
uros, ac ſupplicium de ſe ſumturos.
Plurimum me Medicum ac etiam Con-
eſſionarium, aliosque viſitantes fati-
abat illa, tandem adhibito Extracto
Troch. Alhand. & alio arrepto dolo bo-
io, a me curata fuit.

Plura, quae in praxi mea per tri-
ginta

ginta annos obſervavi, ſi propter occu-
pationum Aulicarum importunitate
tantum temporis ſuffurari, ac man
ſcripta mea percurrere potero, liber
ter communicabo, modo aliquid no
tatu dignum invenero. Nob. Dn. D
Sachſium diem ſuum obiiſſe, & ἐ
πλείονας abiiſſe, ſummopere doleo, it
brevi amiſimus duos Viros egregio
& de re medica bene meritos, Sachſi
um nimirum & Schenkium Jenenſem
metuendum, ne brevi tertius Rolfinc
cius noſter, qui totus etiam, uti fand
percepi, valetudinarius, ſubſequatur
Sed quo delabor? Athletice vale, Vi
Excell. & amorem mihi tuum perti
naciter conſerva; Ego Tibi meum fi
de Pyladea.

Beruthi d. 24. Febr. 1672.

P. S. Elogium quatuor Medico-
rum, qui omni adhibita opera Epiſco-
pum Bambergenſem curarunt, & ad
purgatorium ablegarunt, videbis ex in-
cluſa Schedula. O miſerabilem Me-
dicorum ſortem!

Exentera-

Exenteratio Epiſcopi Bambergenſis.

Nachdem Ihr. Hoch-Fürſtl. Gnaden von Bamberg den 3. Febr. zwiſchen 4. und 5. Uhr, nach ausgeſtandener zwölff-wöchentli-her Kranckheit eines ſanfft ſeligen Todes ge-torben; Als ſind dieſelbe in praeſentia Medi-orum, den 4. darauff geöffnet worden, und ch befunden, wie folget:

I. Das Miltz hat 15. Untzen gewogen, nd iſt in Häutlein gantz zerfahren, als man er mit einem Finger hinein geſtochen, iſt es antz zergangen, als wäre es eine auffgerühr- dicke Farbe.

II. Die Leber iſt ſchön geweſen, und ge-ogen vierdhalb Pfund. Die Gallen in ſelbiger egend iſt ſo lang als breit ein ſchwartzer trich geweſen, bey dem Eingang der Leber t es ausgeſehen, als wann ſie wolte faul erden, aber innwendig kein Stein gefun-n worden, wie man ſich deſſen beſorget.

III. Die Gall iſt in veſica gantz zu Stein orden, und geſehen, als wenn es ſ. v. chaaffs-Lorbeern geweſen, bey anderthalb intlein, von dünner Gall hat ſich nichts be-nden.

IV. Der Magen iſt gantz leer geweſ[illegible] und dünn, wie eine Blaſen, innwendig h[illegible] ſich drey Löffel voll brauner Materi befund[illegible] und gewogen ein halb Pfund.

V. Die Nieren haben keinen Mang[illegible] im Fleiſch gehabt, innwendig hat man Stei[illegible] lein gefunden, unterſchiedlich wie Erbſen u[illegible] kleinere, haben gewogen 12. Untzen.

VI. Das Hertz iſt rings herumb m[illegible] Fett eines Fingers dick, gleich einer Mand[illegible] mit Zucker überzogen, als man es von ei[illegible] ander geſchnitten, iſt es innwendig gan[illegible] ſchön und trucken geweſen, hat gewogen [illegible] Pfund 6. Loth.

VII. Die Lunge iſt äuſſerlich ſchwälck[illegible] und ſchuppicht geweſen, innwendig noch gu[illegible] hat gewogen 2. Pfund 10. Loth.

VIII. Als man das Haupt mit ein[illegible] Seege einem Köplein gleich abgeſchnitten, [illegible] die Hirnſchale eines Fingers dick geweſe[illegible] und das Hirn darinnen auff 3. Pfund 1[illegible] Loth gewogen, und ſind Ihr. Hoch-Fürſt[illegible] Gnaden auff dem Bauch auff zwey Finge[illegible] dick feiſt geweſen.

E Medi[illegible]

E Medicis quatuor morbum explanare Philippi,
Antea qvam ceſſet vivere, nemo poteſt.
Scrutari ingenii in vivo docuiſſet acumen
Qvod Vos cultello membra reſecta docent.
Qvod neqvivere Viri, nunc Saxa reperta loqvuntur
Fellis, & in tumulo hoc ars tua, Phœbe, jacet.
Credere neceſſum eſt hic magnitudine Cordis
Nam validos ictus cœca medela dedit.
Quam magnum exclamant Cerebrum pulchrumque videtis?
Non mirum eſt, Magnos maxima quaeque decent.
Et vobis, Medici, (veniam concedite) parvis
In cerebris haeret maxima ſtultitia.

CENSURA MEDICI.

Laudicat hoc carmen, brevis eſt modo Syllaba longa.

RESPONSIO POETÆ.

VIta quidem longa eſt reddita ſae
brevis.
Corrigit exiguo properata labore Poe
Errores veſtros ſed ſola terra tegit.

* *
*

SIeh! groſſer Männer vier, dergleic
kaum zu finden,
Darunter keiner konnt Fürſt Phili
Schmertz ergründen:
Die Schärffe des Verſtands hätt noch
ſeinem Leben,
Nicht erſt des Meſſers Schärff die Urſ
ſollen geben:
Was Aertzte konnten nicht, das können S
ne ſagen,
Die Gall von Steinen hart verurſacht ſo
Plagen,
Das Hertz nicht klein kont ſeyn, nur diß ze
ſeine Gröſſe
Weil es von Aertzten hat erduldet ſo
Stöſſe:
Was macht ihr von dem Hirn und deſſen Gr
viel rühmen,
Wißt ihr nicht? groſſer Sinn, will Groſ
auch geziemen:
Ihr aber Doctors-Leut (verzeihet mein
Sinnen:)
Habt alle wenig Hirn, und groſſe Thorh
drinnen.

D

Des Artztes Urthel.

O lahmer Reimen-Schmidt! der kurtz, was lang, geſprochen:

Des Dichters Antwort.

Uch lebte mancher lang; Ihr habt ihms Hertz gebrochen.
Doch kan ein ſchlechter Reim gar bald verbeſſert werden,
Hingegen Eure Fehl deckt nichts, denn nur die Erden.

EPISTOLA LXXXIX.

E OVO HUMANO.

Jlluſtris Dn. Abrahami
a Schönberg. &c.

ad

L. C. F. Garmannum.

IBERGA *CHEMNITIUM.*

Nobilis, Amice integerrime.

HActenus negotiorum qvibusdam nubeculis veluti involutus nunc llo, & prompto calamo gratias ſol- amplisſimas, quod auroleo Scri-

 pto

pto tuo de Ovo Hominis nomen m
um praeponere, idque mihi dicare T
bi placuerit: Legi, perlegi, relegi
lud non tantum cum voluptate, ſed e
am cum admiratione, & ſatisfecit pl
rimum ſua inſperata doctrina ; hi
gratiſſimum fuit munus, & ſtatim j
ſto loco in Bibliotheca mea repoſitu
Innotuit mihi quidem antea admirab
lis Ingenii Tui vis ex egregiis exper
mentis referto, & immortali gloria d
gno Opere de Miraculis Mortuoru
& rarioribus Obſervationibus in Eph
meridibus Germanicis ; Ex hoc ve
Curioſitatis ſpecimine laudabili ea p
niſſime patuit: cum mihi idem accid
rit, quod Pythagorae, qui quanta co
poris mole Hercules fuiſſet, e ped
modulo cenſuiſſe dicitur; ſic & ego e
hoc brevi de tui Ingenii, Ingenioſiſſ
me Naturae Hermes, magnitudine a
praeſtantia judicare valui ; cum nih
adhuc hoc in genere aut nervoſius, au
majori perſpicuitate elegantiaque ſcri
ptum eruditus Orbis viderit. Ovum
alias res abjecta, hoc autem ob figu
ram inſolitam, i. e. raritatem, & mi
xtan

tam jucunditate utilitatē pretioſisſima.
n hoc Ovo decumano eſurientes le-
tores magna Eruditione abunde ſatu-
antur: Ex hoc ovo meruiſti Ovatio-
em : Ob hoc Ovum TIBI me totum
evoveo, officiorumque offero omne
enus, addito voto, ut tam divitis In-
enii Vena perenniter ſcaturiat; Sic
empublicam Phyſico-Medicam ma-
no devincies beneficio, & Opera poſt-
aec in Publicum proditura (quae mi-
i jam jam ſalivam movent) non in-
rmorituri Nominis tui monumenta
runt.

Vive diu POLLUX, totum clareſce per Orbem!

Fribergae, 3. Id. Martii Ao. 1672.

EPISTOLA XC.

ACHSII MORS. PRO EPHEMERIDIBUS OBSERVATIONES.

D. Henrico Volgnadio
et
D. Johanni Jaeniſio
L. C. F. Garmann

HEMNITIO URATISLAVIAM.

S. D.

Nfauſtum vero nuncium!

SACHSIUS aeterna vita dignisſimu
Orbis
Praeſidium noſtri, SACHSIUS oc
cubuit.
Adeo
Nihil mortalibus aeternum.
-- volvunt crebrae mortalia vices
Fauſtum tamen inſimul & gratum! qvo
Noſter, Collegae Honorandi, adhuc
PHOSPHORUS in Vobis rutilat, qvo
lumine clari
Phœbeo Phœbum redditis Orbico
lis.

Unum Solem, Jovem, Mercurium, fal tim cœlo tribuit olim antiqvitas, Sole tamen circa Solem, circa Jovem Joves, Mercurios circa Mercurium, Solari, Joviali & Mercuriali lumine lucere eodemque motu moveri, Galilaeus variis Obſervationibus nobis perſvadere voluit. Annon & Vos Viri Excell cum aliis hactenus Phoſphori novi circa Phoſphorum vario micuiſtis lumine, & per Orbem varios variae doctrinae fudiſtis radios? Scilicet ut Phoſphoro extincto tanquam genuini ejusdem ſubſidiarii Academiae ſplendo-
rem

rem conſervaretis. Bene igitur no-
bis, qui veſtra fulcimur ſolertia! Bene
beato Noſtro Sachſio, qui veſtra olim
ſtipabatur benevolentia, jam vero Ve-
ſtro in Artem Medicam favore tanquam
Mercurii Caduceo in vitam redit. Qvae
n Phoſphoro noſtro extincta in Vobis
decumano radiant lumine. Ut igitur
ibi de Vobis non immerito gratula-
ur Noſtra Academia, Veſtrisque co-
atibus propitium vovet Jovem & per-
uam reliqvorum Siderum faventiam,
e quid infelicis ominis Vobis obſcae-
et, ita & ego, qui ob Tanti Viri &
autoris obitum ſinapi tantum victita-
i hactenus, ab aegritudine animum
bducendum putavi, Veſtris tamen
ugusteis ad id compulſus literis, nil ni-
i favorem ſpirantibus, qvi ut mihi per-
nnis ſit, ſeriis aeſtuo deſideriis. Aca-
emiae Noſtrae incrementa promove-
e meae non erit tenuitatis, ſi quid ta-
en potero, lubens Veſtrae potius pe-
tioni quam expectationi ſatisfacturus
ommunicabo. Dum vixi placuit Se-
eri Septimii militaris teſſera: Labo-
mus. Pro Anno Secundo transmi-

 ſeram

ſeram Beato Phoſphoro aliquot Obſer-
vationes, ob moram vero in itinere
eas pro tertio, ut reſcripſit, reſervare
coactus fuit. Quae nuper Exc. Dn. D.
Johannes Mathias Neſterus Archiater
Beruthinus ad me ſcripſit, haec ſunt:
Novi Virum &c. *vid. Epiſt. 88. p. 365.*
Quid in Melancholia Extractum Colo-
cynthidos valeat, duabus Vir Excell.
illuſtrat hiſtoriis, *c. l. p. 368. & ſq.* A
cicatricula a morbillis in praeputio re-
licta, quidam incurrit Phimoſin, ut ad
me non ita pridem Dn. D. Godofredus
Buxbaum, Phyſicus Ileburgenſis per-
ſcripſit, qui matrimonii Candidatus fa-
ctus, mali ablationem urſit, quam et-
iam ſectione facta obtinuit. Revocat
mihi in mentem haec hiſtoria varia in
morbillis & variolis hactenus Epide-
miis obſervata, non ubivis obvia. A-
pud plebejos in quorum cura maligni-
tatis ſcelus non attendebatur, ſublatis
morbillis variolae ſuccedebant, & vice
verſa, aut febres viſcerum humidum
& facultates ſenſim infringentes, donec
εἰς πλείονας abire cogebantur. In infantu-
lo poſt variolas petechiae lividae, cœru-
leae

lleae, & nigricantes apparebant, quaedam quadratae, quaedam triangulares, quaedam trifolium exacte referentes. Epilepſia tandem correptus obiit. Haemorrhagia narium in principio profuit, in morbi vigore morbum protelavit. Sangvis rubicundus omni deſtituebatur ſero, adeoque ſtatim concreſcebat, & poſt aliquot horas gummatis duritiem nanciſcebatur. Mirabar ſaepius, unde iſta ſeri abſentia? an a calore ſerum abſumente? ſed antequam calor ſentiebatur, tali facie conſpiciebatur cruor, in vigore id eqvidem non negarem; an quia ob laeſam & abolitam ere chylificationem & ſangvini chylus & conſequenter lymphae ſubtrahebatur portio? an demum ad miaſma malignum ſangvinem coagulans, ejusque motum ſufflaminans, recurrendum. Motui ſangvinis tardiori igitur ſymptomata omnia dixi eſſe adſcribenda. Si vero hic ſangvinis motus tardior, quomodo ebullitio aut impetuosa ejus fermentatio locum habebunt. Nec pulſus celeritas has, ut vulgo putant, indicabit, nec ſangvinis motui

juſto

juſto celeriori Haemorrhagia imputanda veniet. Quomodo ſudorifera hic agent? an ſerum educendo, ſi ſangvis eo modo, ut dixi, ſe habeat, vix crederem. Prudenter ſane monet *Septalius l. 5. Caution. aph. 52. p. m. 147.* in Peſte, peſtilentialibus & aliis febribus ſudorem non niſi Natura duce eſſe proliciendum, natura namque deſide, licet moveas, nihil promovebis; an ſangvinis motum promovendo & maligni miaſmatis vim infringendo? id qvidem darem facile, ſed hoc non niſi admixtis Bezoarticis continget. Urinam albam cum ſedimento furfuraceo aut praeſentes, aut mox affuturas variolas aut morbillos indicare, experientia docuit. In quibus ſubito diſparuere, varia induxere Symptomata, v. g. Epilepſiam, ex his, quos quidem vidi, unicam tantum virginem ſervatam vidi, motus alios exercuerunt ſpasmodici, & ut ita dicam ambulatorii, modo brachium, modo pedem, modo ſaltim digitos varie torquentes, hi vero ſervati. Puella miris tentata convulſionibus claudicabat aliquot poſt morbum ſeptimanas, adhibitis tamen balneis & nervinis

nis aliis, bene, DEI gratia, valet. Nobilis quidam puer morbillis detentus, adſtantium incuria feneſtram aperit, ſeque libero exponit Jovi. Recurrunt oppido, nihil tamen inde mali, ut videbatur. Altero aut tertio die dolorem dextrae ſentit ſcapulae, poſt cordis anguſtias, & demum ſpaſmum abdominis incurrit, iisdem Symptomatibus ſtipatum, prout eundem deſcribit e Hœchſtetero *Sennertus l.3. Med. Pract. part. 10. c. 8. p. 992.* in hoc ſolum ab eo diverſum, quod mentem obtinuit integram, & durante Paroxyſmo loquela deſtituebatur. Singulis fere horae quadrantibus de die Paroxyſmus illum fatigabat, quo ceſſante loquebatur, bibebat, comedebat etiam aliquando, in lecto erectus ſedebat, ridebat, & puerilia tractabat. Noctu quieſcebat a nona usque ad quartam matutinam, a Paroxyſmis omnino liber. Alvus huic obſtructa, quam enematis ſolicitabam. Dolor modo allegatus ſcapulae totum latus perambulabat, donec tandem ſub ſpecie vaporis frigidi pedis pollicem fatigans evaneſceret. Detinebatur hoc

malo

malo ultra duos menſes. Optima adhibita fuerunt medicamenta ex aliorum Medicorum & meo conſilio, morbum tamen in totum tollere nequivimus. Tandem, quod mirum, iterum variolis correptus, malum evanuit, & cum ſanitate in gratiam redire incipit. Quod tam diu in ſangvine latuerit miaſma, ſingulare quid videtur.

Varices in gravidis ſi aperiantur, periculo non vacare hiſtoria ſequens docuit. Fœmina in pago Auerswalde ultra ſeptem menſes gravida, ut videbatur; cachectica varices in pedibus habebat. Intumuerant eidem per menſem pedes, & dum forte fortuna progredi tentat, ſiniſtri pedis varix rumpitur, confeſtim exſtillante ſangvine aquoſo, maritum vocat, fluxum ut inhiberet. Quod cum non poſſet, ſubito extingvitur. Fœtus interim vitam in utero cum ex motu viderent, me & Chirurgum noſtrum Theophilum Voigt vocant, an ſectione obſtetricante eundem vitali forſan aurae ſiſtere liceret. Properamus ad pagum praedictum, ſed loci diſtantia, ultra milliare namque diſtat,

fecit,

fecit, ut ante noſtrum acceſſum fœtus, quamvis duas horas poſt mortem matris adhuc vixerat, etiam extingveretur. Petimus a marito, ut apertionem cadaveris admitteret, ſed neque noſtra nec aliorum prece id obtinere potuimus. Plura non addo, ne forſan Veſtra humanitate abuti videar. Pro transmiſſo Epicedio grates ago, & optarem, ut unus e Dnn. Collegis Panegyrico quodam deſideratisſimi & meritisſimi Sachſii memoriam & merita proſequeretur, & Tertii Anni Ephemeridibus adjiceret. Excell. Dn. D. Elsnero amicam ſalutem. Valete quam diutisſime, Veſtrumque affectum mihi pertinaciter conſervate.

Chemnitii, d. 26. April,

1672.

EPISTO-

EPISTOLA XCI.

OVI HUMANI EXAMEN PANACEA NITNERIANA.

D. Godofredus Schulzius

L. C. F. Garmanno

ISLEEBIO *CHEMNITIUM*

S. D.

Literas tuas & junctum ipſis Hominem Kerkringio-Garmannianum nec non Diſſertationem Anti-Helmontianam, d. 15. Maji ἐπὶ δείπνῳ φιλοσοφικῷ accepi, & praevia gratiarum actione quas inpraeſentiarum ſolennes Tibi refero, lectionis ſtatim, pro ardore meo primordia cœpi: Inprimis vero Hominem ᾠότοκον eviſceravi, elimata Tua conjectura faculam Ordinis praelucente. Egregiam, haec mea fuit ἐπίκρισις post impetuoſae lectionis finem, praeſtitit operam CurioſusGarmannus, dum Ovi Naturam (partialem) ex Poetis, qui veritatem ſub involucris fabularum nutriunt, Medicis item, Hippocrate, Galeno, Aetio, Harveo, Stenone, Wharton,

:ono, nec non Philoſophis, quorum
Ariſtoteles ἄριςος eſt & primipilus, eru-
ere & quam amice ſibi invicem con-
ſpirent in fundamento Kerkringiano,
docto calamo adumbrare deſudavit.
Quamvis ita cum ſacra Hygiia com-
paratum ſit, ut nunquam hujus Artis
incrementum pedem figat, ſed creſcat
induſtria excolentium, & novum au-
gmentum a ſecuturis ſeculis ſperet.
Apollineae prolis praeclara Ingenia,
um altius Naturae viſcera penetrant,
on poteſt non in immenſum excreſce-
e ἡ ἐπιςημοσύνη ἰατρική, quae fere hic eſt
τιςαμένη, & usque ad mortalitatem re-
um admirabilis, ut ſatius eſſe ducam,
a, quae ἀληθῶς ſunt Nova, non tam
eteris ſcientiae conciliabulo inferre,
uam Naturae morem confiteri & ve-
erari, quae non omnia omni tempore
andit etiam ſagacioribus Scrutatori-
us τῶν πρώτων κατὰ φύσιν, ſed quaedam
rvat in multa retro ſecula, ut ſemper
ncta exiſtat et Numine plena. In hoc
:enue ſe gesſit, non crudum illud ſed
ene coctum, vi nominis, & ſubactum
genium Garmannianum, dum no-
 vam,

vam, quoad Muliebria, Pathologia
& Semioticam, utinam & Pharmace
tico-Therapeuticam, tradidit ad no
mam novi iſtius Principii ὠοτόκȣ.
ſi in primo deliquiſſe videtur, du
σύμφυτον τὸ ἁμαρτάνειν ἀνδρώποις, quo
Inventoris laudem tantillum diminu
rit, quando haud novam eſſe dix
Ovorum progeniem, ſed veteribus e
iam Æſculapiis notam; In poſtrem
tamen & accuratiori applicatione Na
turae & primi Autoris, ſic jocatur no
ſter Calamus, favorem in ſe iterum de
rivavit. De tali enim aetiologia pa
thologica vix ulli conſtitit Mortalium
Ad neutrum tamen Veteres collimaſſ
puto, ſi rationes noſtras doctis tu
oculis uſurpare non dedignaris. A no
mine in argumentorum ſerie ord
or.

I. Aliud enim eſt Ovum, aliu
membrana, quae fœtum in utero for
ma ovali decumbentem, pro form
ſcilicet & figura ſui continentis, invol
vit. De hac Veteribus conſtitit, no
de Ovo. Quare etiam dicta illorum
quae de membranis fœtum involven
tibu

tibus agunt, non ad ova Kerkringiana ſunt detorquenda. Aliud nomen aliam rem ſignificat, cum voces ſint ſignificativae rerum. Hinc etiam *Hipp.* περὶ γονῆς ſemen in uterum mulierem dixit emittere non ova. Quare etiam ipſe Vir Excell. hanc doctrinam vocas nova & nemini cognita ortus humani principia.

II. Veteres Symptomata illa uterina non a putredine aut alteratione Ovorum deduxerunt, ſed vel ab humoribus alteratis, quos agnoverunt in Teſtibus Mulierum, vel ſangvine in ipſis uteri vaſis vitiato, quare curam non ad rectificationem Ovorum, quae ignorabant, direxerunt, ſed ad priſtinam faciem humori & ſangvini corrupto conciliandam. Sic a fine & effectu argumentamur.

III. Ariſtoteles ſemen prolificum περὶ ζώων γενέσεως Teſtibus muliebribus plane denegavit, quomodo ſtatuere potuit ſemen virile ad Ova iſta mulieria per Tubas cœcas Fallopii prolapſum cum iis conjungi indicibili modo, & per breviores illos ductus in uteri

ſubſtantiam exſtillare. Neque implicite, neque explicite de eo hoc affirmari poteſt.

IV. Ova in teſtibus exiſtunt mulriebribus, membranae vero in cavitate uteri demum apparuerunt veteribus una cum fœtu, cum igitur de membranis chorio & amnio loqvuntur Hippocrates, Galenus, Ariſtoteles, ſemper ad uterum reſpiciunt, non ad teſtes, in quibus ſunt originaliter & radicaliter Ova. Hoc argumentum à loco petitum ad Recentiorum quoque ſtochaſmum extendendum. In dictis enim Harveianis, Stenonianis, Warthonianis confundi videtur Locus. Iſte dum dicit: Omnia ex Ovo: aut primo conceptui competere definitionem Ovi; Ille, omnem uterum, dum fœtum gerit, ovum geſtare; Hic, primum fœtus rudimentum Ovum efformare: non ad Teſtes muliebres digitum intendunt, ſed ad ipſum fœtum utero jam incluſum, & pro ejus pyriformi aut Ovali figura Ovum analogicum ſeu μαλακόδερμον exhibentem. Quid? quod *Harveius de generat. animal.* nullam teſtium

tium & ſeminis muliebris ad genera-
ionem & conceptionem neceſſitatem
ſſerat, ne unum numero ſemen, una
umero efficiens ſc. cauſa, unum nu-
ero principium & finis, Materia una,
num patiens multiplicentur, & ſpe-
ierum non tam ſequatur eductio, quam
onfuſio; quare etiam in Cervis & Da-
nis vaſa praeparantia & ejaculantia
on invenit, neque in aliqua fœmina
ia; teſteſque veros habere negat.
uomodo itaque ad Ova muliebria
eſtium, quo tamen omnis ſermo &
onſenſus veterum & recentiorum
mea quidem ſententia) it reditque,
a Harveiana reduci poſſunt, cum
arveius, tantus veri Anatomicus,
eque veros Teſtes, neque fœ-
ndum ſemen, neque vaſa prae-
rantia & ejaculantia (illa Ova Kerkr.)
tuat. Hinc nondum videtur illa Hy-
thesis ſolviſſe inexplicabiles alios
dos de exiſtentia ſeminis muliebris,
quod palmarium eſt, fœcundi, utri-
que miſtione, condenſatione &c. ut
inde notum emergat *κύημα*. Quis
im fœcunditatem potentialem in his
vis, aeque ac cum veſiculae adhuc

Fallopio nominarentur, manibus pal
pavit, quis tranſitum ſeminis virilis pe
Tubas Fallopianas ſat dubias, officii de
ſignati ratione, & appulſum fœcundan
tem ad Ova muliebria, horum deni-
que cum ſeminis virilis ſeu Contagio
ſeu Corpulentia in Uterum transſuda-
tionem vidit. Utinam Fortuna ὀξυδερ-
κὴς Kerkringianum ſecundaret, ut Ova
hæc fœcundata in via proxima ad ute-
rum offenderet, tunc forte hypotheſis
magis firma futura eſſet & ſtabilis. A
fœtu enim Ovali in utero conſpicuo
vel per abortum elabente ad ovorum
muliebrium fœcundationem vi ſeminis
virilis eorumque per ductus illos bre-
ves excluſionem in uterum, vix argu-
mentari licet. Pathologia nova in pri-
mis muliebris, quae in Ovo quaeritur
jam dudum in humore ſeroſo in teſti-
culis alterato aut ideam putredinalem
concipiente radicata eſt eodem funda-
mento, quamvis nomine non eodem.
Neque Praxis & Methodus medendi
feliciori ſuccedet oſcine, ſi ad hoc fun-
damentum novum Pathologicum re-
ſpexerimus, quam ſi Veterum & Re-

cen-

entiorum ſaniorum Cauſas in ſyndro-
ne ſymptomatum muliebrium probe
onderaverimus. Imo Therapia ha-
enus uſitata & Ovorum neſcia prom-
tiorem promittit opem & praeſtitit
uc usque; Ut fere a poſteriori vacil-
re videatur prius. Curatio enim &
raxis ſtabilit et firmat fundamenta
heoretica, ratione cauſarum morbi
ſymptomatis. Eadem ratio militat
Hydropis cura, in qua inventis vaſis
mphaticis, quorũ humor vel qvantus,
el qualis, vel uterque juxta lymphati-
rum hypotheſin hanc ſeroſam labem
tit, felicior nemo verſatur, aut hy-
opicos citius ad ſanitatem perducit,
amvis vel transſudationi lymphae,
l eroſioni vel vaſculorum apertioni
propriata & indicata pharmaca de-
net. Sed ſatis de noſtra Stera, illa-
iori Æmilii Macri vocula, ejusque
nexis & appenſis. Tantum vero
eſt, ut novum hoc lumen anatomi-
m dubiis meis levioribus inumbra-
, ut potius, cum oppoſita juxta ſe po-
a magis eluceſcant, lucem noviſſi-
o huic invento affundere praeſumam.

Hoc certe voti mei ſumma eſt,ut,quem-
admodum Ova rore impleta Soliqu
Majali in meridie expoſita ab eo eleva-
ri dicuntur, ita ſublimi feriant ſider-
vertice placita haec ex Ovo nata & gra-
tioſo applauſus rore opulentata, ut pe
medium aera volitent doctaque per or-
Virorum. Ova ſervantur hyeme in
paleis, aeſtate in furfuribus; Hae quis-
quiliae non ſoſpitent Ovum humanum
ſed ſacrum ipſi hoſpitium venerabund
praebeant Doctorum animi, quibus
per omnem ſeculorum decurſum vige-
at ipſius memoria ſancta & incolumis
per profundiores meditationes,nec un-
quam more veterum Ovorum, abo-
minabilem ſaporem & odorem de ſe
ſpargat. Et quamvis Ova defectuoſa
ſupernatent, plena vero deorſum de-
mergantur, Ovum tamen humanum
profundisſimae doctrinae & accuratio-
nis plenum non ima petat, ſed altisſi-
ma, ut omnium oculis conſpiciatur;
aut in ipſa animi & cogitationum pe-
netralia penes ſolertiores Medicos im-
mergatur.Si quoque vero non abſonum
eſt, Ovum eſſe materiam radicalem La-

pidis

idis Philoſophorum, faxit divinus fa-
ror, ut dum ex Ovo ſumus, in Ovo
tiam panchreſta mortalium extet Me-
icina intimiori cogitatione proſequen-
a. Multis ſane jam dum Ova in ſana
morbida hominis διαθέσει proſunt:
ibi σύμμετροι Galeno audiunt. Nul-
us alius cibus Plinii calculo, in aegritu-
ine aeque alit neque onerat, ſimulque
im potus ac cibi habet, ac Ovum.
vum Lombardicum medicatum &
lectuarium de Ovo notum eſt. Ant-
phtalmicum egregium eſt albumen
vi. In primis vero Muliebrem ſexum
vigerulum levant. Ova Perdicis
ita mam̃as conſtringunt, Ovum ſub
allina fractum uterum in ſuam ſedem
educit. Ovorum teſtae ad gonorrhoe-
m egregiam conferunt opem. Et cur
enerem excitant Perdicis Ova & pria-
iſmum titillantem ac imperioſum con-
liant? Tantane poteſtas ineſt Ovo
Ovum? Sed cedat nunc Ovum, quod
Memoria noſtra nunquam cedet, dum
rumque ſexum ὠοτόκον καὶ ζωότοκον pio
more amamus, in altero quidem pi-
m honeſtatem, in altero affectum in

 hone-

honeſta ſtudia veneramur. Ad aliam nunc Panaceam, ſcilicet Spiritum Mundi Nitnerianum, cujus myſticam incarcerationem ſcire expetis. Et ſane non es inter Αμυήτους, ut facile Te admittere poſſim ad minora & majora mea epoptica, ἄνευ τῆς χαμαιευνίας καὶ σκληραγωγίας, ſi ipſe D. Parens p. m. voluiſſet ἐξορχεῖσθαι τὸ μυστήριον, dum verebatur Heſychianum χλοτάζειν καὶ ὑβρίζειν. Nondum ipſe ego his Eleuſiniis intereſſe potui, ſed potuiſſem, niſi ſuſceptum olim iter in Muſcoviam fores occluſiſſet. Dum enim Hamburgi ſubſiſto, vitam obiiſſe B. Nitnerum cujus ſermone ante tantillum temporis fruebar, fama refert non incerto rumore. Deſideravit me praeſentem non una vice jam moribundus optimus Hermeti Galenoq; aemulus, ut coram mihi panderet arcana, quae volebat omnes latere. Sed viae intercapedo invidebat me ipſius meoque deſiderio. Nunc obſervationes practicas per quadraginta annos & deſcriptiones, ut vocant, in paterna diſpoſitione Medicamentorum ſingularium & arcanorum cum MSC.

omni-

mnibus claudit livor eorum, qui ſan-
vine meam dilectam attingunt, & ne-
oti ex filia natu majori Nitneriana,
udiis Medicis imbuendo, vi & prae-
xtu Teſtamenti reſervant, quae vel
anus paterna vel Typotheta ſignavit;
um tamen expreſſis verbis Generi eti-
m Medici, qualis ego ſolus ſum, men-
onem faciat. Unicum epiſtolium ad
onſules Hallenſes tanquam Tutores
raeeminentiores κειμήλιον hoc, quod
io, poterit impetrare. Diſtuli hacte-
us id ipſum, ut echinus partum, h. e.
eo malo, accuratiori Methodo me-
ndi, quae verum eſt arcanum, con-
ntus, inpoſterum vero morae impa-
ens clavam Herculi extorquebo. Cun-
a mihi nota ſunt praeter Magnetem,
iam e Regno vegetabili deſumſit, & Spi-
um iſtum hujus vi incarceravit, quem
oſt leviſſimo ignis gradu inſtar perla-
im Orientalium exſtillare coegit.
eci periculum in deſtillatione crudi, uti
ocat, Spiritus Mundi, poſt ipſius fata
llicti, & in haeredes diſtributi. Ca-
it mortuum, quod inſtar Terrae ru-
ae apparet, materiam redolebat vi-
trio-

triolicam & martialem, in ſapore & odore, quo utroque Spiritus deſtillatus caret; neque tamen poteram exacte diſcernere Terrae ſpeciem, cujus magna copia poſt obitum VIRI deflebilis in duabus ſcatulis fuit reperta, ſed ſtatim ſuppreſſa a malevolis, qui gloriam alterius ſuam pœnam, felicitatem alterius ſuam carnificinam faciunt, ne in manus meas hoc opertaneum ſacrum veniret. Egregius Beati Nitneri Tractatus in oculis verſatur doctiorum de Spiritu Mundi, quem forte vidiſti. Perſtrinxit hunc Spiritum ſatis audacter, quamvis etiam ſatis docte Excell. *Hofmannus Halenſis in Opere ſuo de Methodo Medendi cap. de Alteratione p. 265.* Utriusque ſenſa animi, ſi noſſe discupis, & quae ad naturam hujus Spiritus faciunt liquidius perſpicere, lege, ſi non legiſti, & judica. In rationibus Hofmanni latere videtur deſtructoria hujus Spiritus veritas, quam tamen aegrorum, niſi lethaliter decumbentium, εὐφορία perpetua & recuperata ſanitas ex uſu hujus aquae perennis, licet carius conſtiterit, falſidicam facit.

Men-

Menſuram enim decem Imperialium pretio vendidit. Sed claudo nunc rivos & rimam calami, ſatis jam prata chartacea biberunt. Amor in Te, Vir Excell. & ſacra medica nimis propenſus fines literarum transire juſſit, quam etiam prolixitatem non aliter interpretari velis. Proinde valere Te jubeo, & nobis, ſi meremur, porro favere.

Islebii, d. 15. Maji. 1672.

EPISTOLA XCII.

DE EPHEMERIDIBUS ANNI TERTII.

D. Henricus Vollgnad
et
D. Johannes Jaeniſius
L. C. F. Garmanno

BRATISLAV. *CHEMNITIUM.*

S. D. D.

Coelum ſemper gaudere motu, adeoque nec Planetas in quacunque ſphaera eandem Horizontis faciem obti-

obtinere poſſe, etiam Tyronibus Aſtro-
nomiae non ignotum eſſe poteſt; i
nec Phoſphoro noſtro lucidisſimo, ſ
jubente Cœli Terraeque Moderator
licuit amplius literati Orbis Horizon
tem illuminare, ſed directo curſu & de
ſcenſione qſ. obliqua mortalium hem
ſphaerium relinquere, quem fere ſecu
tus eſſet noſter Jaeniſius, qui ante b
meſtre ſpatium jam in octava ſeu mor
tis domo erat conſtitutus, ut jam jan
occaſum quoque ſuum nobis mina
videretur, aſt Divina Clementia illum
retrogrado curſu incedere jusſit, qu
ambo adhuc aliquandiu luminis no
ſtri ſcintillulas ſaltem literato Orbi com
municare valeamus. Tuam Excell
autem nobis exſtincto PHOSPHORO
decumanos luminis radios attribuere
ex humanisſima civilitate factum eſſ
agnoſcimus; Bene autem nobis, ſi a tan
tis ingeniorum dexteritate & induſtri
praeditis Viris adjuti, Totius Collegi
incrementa & cujuslibet Collegae fa
mam, ſi non ingenioſe, tamen nego
tioſe promovere, & ampliare inſtige
mur! Pro Anno Secundo B. Phoſpho

ro

ro transmiſſas Tuas obſervationes, Ter-
tio Anno ut dignisſimas immatriculan-
das omnino Tibi perſvadeas. Ad cae-
tera Tua 26. April. docte nobis com-
municata concatenatis negotiis fere
oppresſi hac vice reſpondere ſuperſe-
demus, illa autem in ſuccum & ſangui-
nem vertere, h. e. excerpendo Famam
Tuam alias ſat claram, hiſce clariorem
reddere non intermittemus. Beati
Phoſphori vitam una cum figura aeri
inciſa vivam ejus formam repraeſen-
tante Tertio Ephemeridum Anno an-
nexum iri ne dubites. Pro munu-
ſculo ingenioſo & docto gratias habe-
mus ingentes, utque pari ratione illud
compenſare queamus, vovemus. D.
Elsnerus nobiscum ſalutem plurimam
in ſinum Tuum refundit, & ut diu ſo-
pes & incolumis DEO, Reipubl. lite-
rariae, Reique Tuae familiari ſuper-
ſtes eſſe queas, animitus optamus.

Uratislaviae d. 23. Jul. 1672.

EPISTO-

EPISTOLA XCIII.

OBJECTIONUM CIRCA OVUM HUMANUM SOLUTIO.

D. Godofredo Schulzio

L. C. F. Garmann

CHEMNITIO *ISLEBIUM*

S. D. P.

NIhil vero gratius mihi accidere po-
tuiſſet, quam docta & amica Tu
ad meas reſponſio. Quam dum leg
& vel decies relego, tacito ſuffundo
pudore, quod citius eidem meam no
repoſui, fidemque datam ſolvi. Confu
noſter Dn. Berlichius hactenus ſaepiu
iter ad Vos meditatus eſt, cui meas ad
Te comites adjungere decreveram
ſed & ille aliis circumventus negotii
propoſitum mutare coactus fuit. His
vero nundinis cum ſerenior occaſio in-
tentioni meae affulgere videatur, ne in
amicitiae noſtrae leges peccem, ampli-
us ſilere piaculum duxi. Ut igitur ad
docta Tua dubia circa Ovum huma-
num Tibi paucis reſpondeam, recte aſ-
ſeris:

eris: Aliud eſſe Ovum, aliud fœtum
orma ovali membranis involutum;
De hoc, non de illo veteribus conſtitiſ-
e. Id vero meam non ferit ſententi-
m. §. namque *15.p.*7. haud obſcura hu-
us dogmatis apud Veteres deprehen-
i veſtigia, poſui, & §. 22.*p.* 12. Hip-
ocratis. §. vero 27. *p.* 13. Ariſtotelis,
Iarvei & Stenonis opiniones breviter
um noſtra contuli. Deinde ſi rem
ccurate examinamus, Ovum prolifi-
um & fœtus membranis incluſus non
iter differunt, quam illud, quod eſt
ctu et quod potentia, cum ex Ovo fœ-
us membranis involutus utique pro-
re poſſit. Cum igitur veteres ovum
umanum ignorarint, ſemen autem
aſculinum & fœmininum in uterum
elatum formam ovalem conſequi &
emum in fœtum faceſſere ipſis non
notum, idcirco hanc doctrinam no-
i & nemini cognita ortus humani
oco principia. Nec a me aliena ſen-
:, dum veteres non a putredine Ovo-
m ſed humorum uteri morbos dedu-
iſſe prodis. Ego ſaltem §. 35. *p.* 16. no-
rũ aſſertum Pathologorum ſancita illu-
Gc ſtra-

ſtrare aſſerui. Neque Ova rectificari po-
ſe, ut quidem ſcribis, ullibi docui. Qva
de hypotheſi Ariſtotelis, qua teſtibu
mulierum ſemen plane denegavit, a
fers, Ova mulieres ſecundum Ariſtote
lem non alere quidem evincit, mean
tamen non evertit, quando Ariſtote
lem conceptum Ovo comparare §. 2
p. 12. ſcripſi. Dum confuſionem loco
rum urges, parum obtinebis, ſuffici
mihi, hoc namque potisſimum inten
do, demonſtraſſe tum veteres, tum re
centiores inter Ovum & conceptum
quandam agnoviſſe analogiam, pullum
que in Ovo eodem modo formari, u
fœtus in utero. Hoc ipſum uti forſa
non negabis, ita Kerkringius mecum
eodem modo ut pullus ex Ovo Homi
nem educi & produci commode hari
olari poterit. Et quid Ariolo opus eſt
cum Anatome hujus rei veritatem ocu
lis ſubjiciat. Praeter Fallopium, War-
thonum & Kerkringium celeberrimu
noſtri temporis Anatomicus Johann
van Horne Ova haec publice demon-
ſtravit, veſiculasque inflatas in Muſaeo
aſſervavit, ut in Epiſtola ad Magnum
Rolfin-

Rolſinkium exarata teſtatur. Ita eti-
m D. Bohnius & D. Etmüllerus Li-
ſiae in diſſectionibus publicis ea ſae-
ius invenerunt & demonſtrarunt.
uperiori anno, ſcribit Dn. D. Etmül-
rus , in teſte cujusdam infanticidae
lus quam viginti talia invenimus ovu-
,diſtinctae tamen magnitudinis,quae-
am milii ſaltem grani ad inſtar, quae-
am majora , quaedam perfectae ma-
nitudinis, quae perfecta Ova, in me-
io teſtis, imperfecta ſaltem ambitum
jus occupabant. Idem congruo tem-
ore inſtituta teſtatur Zootomia. Si
amque integer teſticulus in Aquam
rventem immittatur, Ova brevi poſt
albuminis indurati abeunt conſiſten-
am,ut levi teſtis inciſione & compreſ-
one vel ſponte exiliant. Quae de Pa-
ologia nova muliebri addis, Metho-
um medendi hoc invento nihil mu-
ri, neque curam morborum felicius
cceſſuram auguraris, lubens praete-
o, id vero juxtim addo, nos jam ac-
ratius de morbis mulierum judicium
rre poſſe, & unde tam mira aliquando
mptomata, felicius eruere. De Pa-

nacea Nitneriana in ſequentibus pro-
pediem pluribus. Tuum interim eri
Vir Excell. haec boni conſulere, no-
ſtrumque Ovum radiis favoris & eru-
ditionis, ut cœpiſti, inpoſterum fovere.
Interea vale, & crebriori affatu litera-
rio me Tibi devincire perge.

Chemnitii, ipſis Calend. Octobr.
1672.

EPISTOLA XCIV.

HYDROPS APERTIONE SCROTI CURATUS. DOLORES COLICI FLATULENTI.

D. Chriſtoph Erneſtus
Stempelius

L. C. F. Garmanno

ANNAEBERGA CHEMNITIUM

S. D.

QUantae equidem cum publice tum privatim occupationes Te diſtineant, me non latet, ideoque meis ad Te literis lubens abſtinerem; incidit tamen

ımen mittendarum haud deſpernen-
a neceſsitas. In recenti adhuc Nobi-
ſſ. T. Excell. tenebit memoria, quae
ohinc D. Schrammi, Medici Frauſta-
enſis ergo,quanto nimirum de literis
ecum communicandis flagitet deſide-
o, amice protuli. Quod cōmercium
ibi adeo non diſplicere, cum per me
telligeret, literas ecce has ad Te per-
rendas petiit. Reſponſum Tuum,
ıa animi anxietate expectet, ipſe for-
an indicabit. Scroti in capitis ma-
ıitudinem tumefacti apertionem nu-
errime in Viro hydropico me felici-
r tentaſſe, & ita favente DEI gratia
r vices multas aquas eduxiſſe, Te
oque ſcire faciam. Nunc juſtae ma-
ıitudinis ſcrotum eſt, indeque infli-
ım vulnuſculum ſponte coaluit,e con-
rio crura qſ. ſcarificata aquas iſtas ſal-
; ultro emittunt. Parens meus filia-
er venerandus per multos paroxyſ-
os praeauditis fere incredibilibus
urmuribus (gleich als wenn man vieles
aſſer durch die Gedärme göſſe) imma-
dolore, ventrisque cruciatu prope
nbilicum affligitur, alvus ante alte-
 rum

rum vel tertium diem, quibuscunque licet adhibitis, nihil excernit, per vomitum quidem multa moventur, sed absque levamine. Qui dolores, ut pro colicis vere habentur,ſic & communi methodo clyſteribus magis leniendi ac ſopiendi eſſent; verum cum Parens horum uſum ferme abhorreat, nos contra praeter inunctiones (quae vero minus leves) vel balnea, (quae ſaepius ob virium jacturam poſtponenda) vel etiam ſuppoſitoria (quorum vires morbi vehementia ſpernere ſolet) tempore paroxyſmi parum praeſtare poſſumus. Appello idcirco expertisſimum Tuum, Fautor honoratisſime, conſilium, annon aliquod honeſtius Clyſteribus ſubſtituendum eſſet remedium, ſive cucurbitulae eſſent cum multa flamma & ſine ſcarificatione abdomini & hypochondriis appoſitae, ſive hujusmodi ungventa ſeu emplaſtra laxantia, ſive ſimiliter quid aliud. Vel etiam ſi poſt perpeſſum paroxyſmum certum jucundeque expertum remedium recidivam praecavendi posſideas, idem communicandum haud deneges. U

ſum

um ſeri lactis caprini cum pulpa tama-
ndorum pro potu Ordinario ad tem-
us ſvaſi, quae heic T. ſit ſententia, di-
as quaeſo; vicisſim ad quaelibet offi-
orum genera me promtum paratum-
ue habebis. Vive ſvaviter, valeque
um Nobiliſſ. uxore ac prole ex voto!

Dab. Annaebergae d. 13. Octobr.
1672.

EPISTOLA XCV.
E CENTAURIO MINORI.

D. Gottlieb Georg Schramm
L. C. F. Garmanno

RAUSTADIO CHEMNITIUM.

S. D.

DIu quod volui, imo & debui, tan-
dem exſolvo. Annus enim jam
fluxit, cum literae Nobiliſſ. Dn. D.
empelii Practici Annaebergenſis A-
ici mei Academici quondam candidi
me datae de Tuo in tenuitatem me-
n prono Affectu certiorem me red-
rent. In ſinu profecto gaudebam, a

Viro tali Eruditionis fama Scriptisque editis celebri, ad literarium Commercium invitari ac ſalutari. Et niſi improbus Mars Regni noſtri devaſtator impedimento fuiſſet, ex nunc pro ampliſſimo Amicitiae officio grates Excell. T. ſolviſſem. Quapropter ex parte aliqua tranquillitatis ſpes cum affulgeat nobis, (licet ob Turcarum impetum & ea exigua ſit) praeſentibus hiſce (ne in leges tam honorifice oblatae Amicitiae peccare videar) fores tuas pulſito, obnixe rogitans, ut ſerena fronte eas Vir Nobil. aſpicere velis. Cum igitur erudita Excell. T. de Miraculis Mortuorum publicae luci expoſita Diſſertatio, literaeque ad Nobil. D. Majorem, Praeceptorem quondam, nunc Fautorem meum ſingularem, ſat eruditae datae, (qui per me D. van Horne Anatomico Lugdunenſi primum Exemplar Prodromi ſui de Chirurg. Infuſor. transmiſit, ut ipſe van Horne in literas reſponſoria D. Majori data, fatetur) ſatis oſtendant, Te Vir Nobil. maxime Curioſum rerum Phyſico-Medicarum Scrutatorem agere, ad Te etiam jam

reſu-

…efugio, & ſi de Centaurio minori ali-
…uid obſervatu dignum noveris, de
…uo non dubito, mihi communicare
…aud dedigneris, obſecro. De eo enim
… DEUS vitam & Halcyonia largitus
…uerit, aliquid commentari animus eſt.
…Notum Excell. T. erit, illud ſponte in
…ratis & locis nunc arenoſis nunc ri-
…uoſis naſci, verum an in hortos trans-
…tum etiam creſcat *Camerarius in hor-*
… ſuo medico Philoſophico & Celeberr.
…onſtonus Fautor meus honorandus
… Notit. Regn. vegetab. allegant. E
…ontrario apud *Th. Bartholin. in Ciſt.*
…ledic. p. m. 464. legi illud in viridario
…egio Hafnienſi floruiſſe, ut & in Ca-
…logo Plantar. Horti Academici Lug-
…unenſis a Vorſtio Botanico inſigni
…ito duplex reperire licet Centaur.
…inus & purpureum quod commune
…e, & in officinis uſurpari credo, &
…ud flore luteo, quod non uſuale.
…rca quam Controverſiam ſi meam
…alemcunque etiam ἐπίκρισιν addere li-
…ret, putarem facta diſtinctione inter
…ntae hujus & illius diverſitatem,
…m ratione ſoli, tum & climatis com-

 poni

poni poſſe. Notisſimus enim Naturae luſus eſt, ut

Hic creſcant ſegetes, illic felicius
uvae.

Sed cur haec prolixius, quam debebam, Tibi Vir Excell. propono. Manum ergo de Tabula. Unum ſaltem eſt, quod expeto, ut Excell. T. ulteriori Favoris affectu tenuitatem meam beare velit, ſtudiumque meum in indagando Centaurio minori adjuvare. Quod ſi a Te, Fautor honoratisſime, impetravero, magnam deſiderii partem mihi videbor aſſecutus, totusque in eo ero, ut officia mea atque gratitudinem Excell. T. ſat demonſtrare queam. Hiſce Te cum Tuis omnibus Divinae protectioni commendo.

Frauſtadii Polonor. d. 12.
Octobr. Styl. nov. 1672.

EPISTO-

EPISTOLA XCVI.

DE COLICIS DOLORIBUS ET ALVI OBSTRUCTIONE.

D. Chriſtoph-Erneſto Stempelio L. C. F. Garmann

CHEMNITIO ANNAEBERGAM.

S. D. P.

GRates Tibi debeo, Vir Excell. quod non ſolum Schrammii mihi conciliaſti amicitiam, ſed & ſimul obſervatione ſingulari meam ſupellectilem Practicam adaugere non dedignatus es. Immenſum vero doleo Dn. Parentis ſui ſortem, qui tanto eqvuleo ſubjectus, in vitae confinio ambulat. Quid vero a mea expectas tenuitate V. E. in ſtatu hoc forſan deplorato? Ne Tibi deeſſem, Tuisque, addidi quaedam, expectationi Tuae forſan minime reſpondentia. In Sene ad Phyſogona calida cum e frigidis flatus oriri hariolor, reflexi, ſi forſan ex voto non reſpondeat

at alvus, laxativum addidi , nec validum, nec lene, in tali caſu ſaepius expertum. Ad votum ſi non fluat effectus ex Oleo Amygd. rec. expr. cum portiuncula Mannae, potiunculam huic ſuperaddo. Alvi iſta obſtructio ſphincteris ut obſervavi convulſione ſuam a flatibus debet originem, hinc fiſtula enematica, ut in pueris expertus, ano indita, ſaepius flatibus viam patefecit, ſanitati portum. Fiſtula tali ſaepius enemata reſpuentes fraude bona circumveni , & enema feliciter injeci. Haec vero neque Tibi , neque Tuis, ſed ut Tuae ſaltem obtemperem voluntati, cui Domino Parenti Tuo omnem ſanitatem apprecans, haec transſcribere volui.

Chemnitii. d. 14. Octobr.
1672.

EPISTO-

EPISTOLA XCVII.

DE CENTAURIO MINORI VARIA

D. Gottlieb Georgio Schrammio

L. C. F. Garmann

CHEMNITIO FRAUSTAD. POLON.

S. D. P.

REverenter habeo fortunam & Excell. Stempelii Affinis colendi affe-ſtum, quibus Tuam me debere amici-iam literariam oppido fateor. Occa-ioni vero novercanti iraſcor ſerio, quod nellitis Tuis hactenus reſponſorias re-onere impeditus fui. Scis ipſus fata Medicorum, Vir Excellent. quod tum emum ſui juris eſſe valeant, cum Me-icorum exuunt nomen, alias autem b aegrotantium poſtulatis & voluntate orundem pendere voluntatem. Igno-ces igitur, quod plumbeis ad T. E. hae neae properent pedibus, hominis nam-ue ſunt, non Deorum, quibus laneos pedes

pedes tribuit antiquitas. Et ſi hoc, cu
meis tantum tribuas laboribus, cauſan
non penetro. Momentum, fateor
grande a teſtimonio tuo meis accede-
ret, niſi blandus affectus id potius ex-
torſiſſet, quam mea a Te quidem alle-
gata, quae tamen vel nulla, vel ſaltem
mediocris eſt, eruditio. Cœpi famae
viam currere hactenus, non famae ſed
ſemper boni publici ſcopo. Genium
teſtor, teſtor Amicos. Varia habuere
fata libelli mei, variaque judicii lance
hic pependi. Si quid praeſtiti, Patro-
nis & Amicis id imputetur, qvorum
creberrimis literis monitus ſtudium hoc
ingreſſus, reliqua mea erunt, quae ju-
venili abreptus intemperie literis man-
davi, inſipida. Tua vero meis quam
erunt defecatiora, Centaurium Tuum
Te Chironem oppido loqvetur. Non
opus igitur fuiſſet meam hac in parte
ſolicitare opellam, niſi affectus in me
Tuus hoc Tibi inſuſurraſſet conſilii.
Quocirca ut affectum affectu redi-
mam, &

Ne nomen ſubeam, quod dicitur of-
ficipenda,

quaedam περὶ κενταυρίȣ τȣ̃ μικρȣ̃ ca-
lamo

lamo inſubido e Charta in papyrum conjicere decrevi. Nomina, Deſcriptionem & vires ex antiquis *Dioſcorides l. 3. c. 9. Theophraſtus l. 3. c.* ſ. *Plinius l. 25. c. 6. L. Apulejus Platonicus de Med. Herb. c. 35. & ejus Commentator' Humelbergius. Galenus l. d. Simpl. med.* ſi quidem Galeni eſt) cui & alius de virute Centaureae inſcriptus, ſed etiam purius, attribuitur, *& Tom. 8. Op. Gaen. Baſil. anno 1542. a Froben. in fol. dit. p. 346.* inſertus deprehenditur, delerunt vires, jungendi his moderni utores, qui ubivis proſtant: *Ruellius* uae *de Nat. Stirp.* paſſim inſeruit, ex upra allegatis hauſit. Mentionem hus etiam fecere *Lucretius* & *Virgilius*, uanti Poetae, quanti juxtim Phyſici, terque inter graveolentes numerat erbas, *hic* quidem *l. 4. Georg. v.* 270.

Cecropiumque thymum & graveolentia Centaurea,

le vero *l. 4. d. Nat. rer. v.* 139.

Praeterea quaecunque ſuo de corpore odorem
Exſpirant acrem, panaces abſinthia tetra
Abrotaniq; graves & triſtia Centaurea.

Cur

Cur vero triſtia? (qui ante Centaurium dixerat ferum *l. 2. v.* 307.

At contra tetra Abſinthi natura ferique
Centauri fœdo pertorqueat ora ſapore.

Feritatem huic tribuiſſe Romanos ... Feſto annotat *Giſanius Collectan. in Lucret. p.* 314. Eodem modo ut triſte ... ſuccos olim pro amaris poſuit *Maro l.* 2. *Georg. v.* 125. & alias triſte ingratum ſive guſtum aut odorem ſpectes, alios jam lubens praetereo ſenſus) etiam Poetis denotat. Unde vero iſta amaricies? Reſpondeat Epicuri de grege Doctor *Lucretius l. 2. v.* 309.

Ut facile agnoſcas e laevibus atque rotundis
Eſſe ea, quae ſenſus jucunde tangere poſſunt:
At contra quae amara atque aſpera cunque videntur,
Haec magis hamatis inter ſe nexa teneri. &c.

Egregius ſane campus, in quo ſe exerceat Tua Curioſitas, ſuamque Doctis monſtret ἀκρίβειαν καὶ φιλοπονίαν. Praeluxere

uxere nobis ſubtilis in Scriptis Carte-
ius & Gaſſendus, acutus Magnenus in
Democrito, et qui horum legit veſti-
ia *Grubeus d. med. Simpl. cogn. ſ. 4. art.*
. & *4.* cum aliis veritatis Sectatoribus.
pectant huc illa curioſa circa ſalium e
lantis paratorum figuras experimen-
a, quae ex πολυπειρία D. Antonii Olivae
rofeſſoris Piſani recenſet *Carolus*
racaſſatus in ſua de lingva Epiſtola p.
26. ubi inter alia parietariae & Abſin-
io cuſpides baſibus invicem nexas,
d conum non abſolventes ac ſectas
ibuit. In examinando igitur Sale
entaurii, quo felicius varia proble-
ata enodare valeas, non inanem in-
mes operam. Cur ex amaris v. g.
entaurio Tuo, Abſinthio, Fumaria,
uta, &c. ſalia elicita vi dejectoria gau-
ant, ſic commodius explicabitur.
auſam retulit in ſal Gemmae a quo
naritiem deducit Quercetanus, ſed &
a purgant ſalia, & e ſalibus confecta.
iritum ſalis ad gutt. 15. propinatum
vehiculo alvo lubricandae profuiſſe
lit *Bartholin. in Epiſt. med. inqvilin.*
2. Quid Vitriolum album opere-

tur, tonſoribus & lippis non ignotum. Movit id Chymicos nonnullos, ut crederent a ſolis ſalibus vim purgantem proficiſci quod tamen absque limitatione non eſſe concedendum *Boyle part.* 5. *Chym. ſcept. p.* 715. judicat. Si quid ſal in hoc puncto valet, non ut ſal id praeſtat, ſed quatenus certis angulis, iisque ſubtilibus gaudet, quorum vellicatione in furorem agit Pylorum, ut ἄνω καὶ κάτω materiam exturbet ac expurget. Mirum inde non eſt, ut quidem *Harveo de gen. animal. Exerc.* 57. *p.* m. 245. videtur, quod ab infuſione Antimonii epota, quam nec guſtu diſtingvimus, nec deglutitione aut rejectione moleſtam ſentimus, ventriculus turbatur & commovetur. Hoc modo cauſtica venena ventriculum perforando aut eſcharam eidem inducendo, tam gravia inferunt Symptomata, mortis pararios. Nec ſolum ſal Centaurii tu. purgat, ſed & *Tulpius l.* 2. *Obſ. med. c.* 23. *p.* 239. obſervavit, aquam e Centaurio in putredinem redacto expellere potenter quicquid ventriculo parit negotium. Proinde & ipſe ventriculo

noxia

noxia per vomitum evacuaturus monitum *Schrœderi* obſervans *l.3.Pharmac.* *.de vitriol.* Gillam Vitrioli in aqua Centaurii diſſolutam propino. Reliquae vires ſunt febrifugae, aperitivae, Hydragogae, quare in malo hypochondriaco vim ejus extollit Grubeus. Antiſcorbuticis eandem eſſe accenſendam, experientia edoctus ſcribo, & Eſſentiam Rorismarin. Centaur. min. Fumar. Pini, cum Spiritibus antiſcorbuticis extractam familiariter adhibeo. Reliqua propinabunt citati & poſt hos cumprimis C. Hofmannus, Schrœderus & Simon Pauli. An etiam in hortos translata creſcat tandem quaeris? Quamvis vero id in hortis me vidiſſe non recordor, tamen idcirco illud vivere & radices ibidem agere non irem inficias, praeſertim cum Botanici a T. Exc. laudati id confirment. Hoc tamen Tibi certo velim perſvadeas e locis incultis ad culta translatas vires mutare & genium, cum conſveto loci fermento iisdem amplius frui non liceat, juxta illud: Locus mutat locatum. Refert *Wekkerus l.1.Antid.Special.ſ.8.p.130.*
 ut

ut hoc adhuc addam, in freto Neapolitano herbam naſci, quae ita penitus Centaurium minus referat, ut qui non diligenter diſtingvat, facile decipiatur, & hanc multi Pharmacopœi loco Centaurii uſurpent. Differunt tamen, ſubdit, in eo, quod in vero ſit caulis quadrangularis, in altero rotundus, & ſicuti verum eſt amarisſimum, atque eam ob cauſam fel Terrae vocatur, ita in altero nihil plane apparet amaritudinis. Sed de his ſatis, imo plus quam ſatis. Tuum erit Vir Excell. haec in bonam partem accipere, ſcripſi haec non ut mea penuria Tuam adaugerem ſupellectilem, ſed voluntati Tuae ſatisfacturus. Caeterũ ut Centaurii Tui ſtructuram, & in illa eruditionis & experientiae Tuae iconem propediem videat noſter Orbis, Patriae Tuae Halcyonia, Tibi vero perpetuum corporis ac animi vigorem Calendis his Januariis ex animo voveo. Affectus teſtandi gratia Epigrammatum Bigam & meam de Ovo humano diſſertationem his incluſi, Tu, ſi placebit Epigramma libro ſecundo de miraculis mortuorum praefigendum,
prope-

propediem transmittes, Tuamque de
Ovo humano ſententiam exponere non
graveris. Interea DEO & famae lite-
rariae ſerio commendatus Vale, meque,
i merebor, amare perge.
Chemnitii Cal. Jan. St. v. Ao. 1673.

n Eruditam D. SCHRAMMII de Centaurio minore Commentationem.

I.

QUo Centauream vocitamus jure minorem?
Morbifugum cum vix Majus in Orbe detur.
Horrificas febres, hypochondria tenta, cruoris
Sentinam, labem corporis, illa fugat.
lura cupis? ne plura canam mihi vellicat aures
SCHRAMMIUS, egregio qui docet iſta libro.
Iittimus ergo ſuum Rha Ponto, mittimus orco
Nepenthes, ægros haec panacea juvat.

II.

lateriae eſt ſimilis Tua commentatio, SCHRAMMI,
Mole minor, major viribus illa cluit.

EPISTOLA XCIIX.

DE VARIIS AD HYDROPIS CURAM MANUALEM SPECTANTIBUS.

D. Chriſtiano Erneſto Stempelio
L. C. F. Garmann
CHEMNITIO ANNAEBERGAM
S. D. P.

EGo vero Te in luctu & ſqvalore ob mortem Dn. Patris Tui deſideratiſſimi conſtitutum, illibenter alloquor. Quorſum me verto incommoditatis aliquid ex meo alloquio & Tibi & mihi emergere adverto. Multis Tecum agere importunus videbor, dum prolixa Sympathia vulnus ad cicatricem vergens renovo, luctuque luctum adaugeo. Obmuteſcam? inhumanus reputabor, & in noſtram peccabo amicitiam. Media igitur via incedendum erit. Solatio ſit Tibi Tuisque, Beatum Dn. parentem hic vixiſſe nemini moleſtum, omnibus probatum, gratum bonis, malis formidabilem, Eccleſiae utilem

ıtilem, &,quod omnium beatitudinum excedit terminos, DEO ſuo fidelem. Obiit, ſed ſatur vitae inter lacrymas piorum & ſuſpiria bonorum. Abiit, ſed e miſeriis ad beatitatem, e militia ad triumphum, e tempore ad aeternitatem, e vita mortali per mortem ad vitam nunquam terminabilem. Abiit a nobis ad DEUM, ad Angelos, ad beatos ipſe beatus inter cœlites agens. Interim ejus memoria in benedictione. Veneramur eundem mortuum ut vivum. Quocirca addam & de meo brevi Epigrammate prolixum affectum teſtaturus, ſi per Te quidem licebit, ultimi honoris ſpecimen, tumuloque ſequens inſcribam diſtichon:

Ne tumulum tumulum dicas Stempelii, Amice,
Hic eſt Euſebies Evepiesque thorus.

Quae nuper de apertione Scroti in Hydrope communicaſti, applauſum merentur. Saepius eo inclinat natura, ut mole liberetur ſeroſa. Eandem ideo probat *Alex. Benedictus l. 15. de cur. morb.* c. 40. commendat Praeceptor noſter

Rolfinkius, eamque Paracentheſis vicariam nuncupat *Schenkius l. 3. Obſ. med.* *p. m.* 452. quamvis nec periculo eandem carere omnino aſſerat *Bartholin. Cent.* 2. *h.* 6. Ipſe vidi in quodam Cive Jleburgenſi feliciter adhibitam, contra in alio ante ſexennium abdominis Paracentheſin Halis Saxonum, repugnante Medicorum Collegio, interim aegro per Magiſtratus decretum id urgente, infeliciter adminiſtratam, triduo namque poſt ſectionem exſpirabat. Singulare eſt, quod *Hildanus Cent.* 1. *Obſ. Chir.* 48. recitat, cuidam Hydropico copioſe in Scrotum delapſum fuiſſe humorem ſeroſum & excitata Gangraena inde effluxiſſe, qui tamen a morbo liberatus liberos novo reparato Scroto procreavit. Quod Natura aliquando per umbilicum eandem tentet laticis expulſionem, exempla apud Zacutum *l. 2. Hiſt. med. princ. obſ.* 24. & alios annotata docent. Fluxit inde illa decantata Sanctorii Umbilici apertio, de qua varia *c. l. Schenkius* & memorabile *Tulpius l.* 4 *Obſ. c. 42. p.* 365. Foramine inter pollicem dextri pedis aperto, Hydropica

apud

pud *Zacut. c. l. Obſ. 23. p.* 405. convalu-
:. Ungvium in pedibus ad vivum uſ-
ue reſectionem, commendavit pri-
nus, ſi recte memini, Hollerius, ſed
netus Gangraenae meticuloſum non
mmerito facit operatorem, exemplo
lo ab *Henrico ab Heer Obſ. 12.* notato.
ectionem ſupra claviculas tentant Æ-
yptii *Alpino* teſte, *l. 3. de med. Aegypt. c.*
f. 102. imo & cauteria, ſub umbilico,
ene & ventriculo eodem obſervante
l. c. 12. f. 100. inurunt, quod approbat
rembſius l. 2. arb. integr. & ruinoſ. c. 1.
6. & Cantharides laudat *Zacutus l. 2.*
ib. 7. quae tamen operatio diſplicet
ptalio l. 7. caution. & anim. med §. 6. &
ldano c. l. Obſ. 49. Sint tamen hi aegri
-πλαγχνοι, morbus in principio, vires
huc virides & florentes, nec humor
uſticam ſalſedinem prae ſe ferat. Si
mque tunc aut ab arte aut natura in
dibus loca quaedam aperiantur ulce-
phagaedenica ſumme doloroſa & in-
rabilia emergunt. Talia obſervavi
Tua & mea Affini Gairi Paſtoris
njuge, cujus pedes aperti, adeo ſal-
n ſtillabant laticem, qui non ſolum

 lintea

lintea circumpoſita corrodebat, ſed &
guttulae inter deligandum forſan Chi
rurgi aut aſtantis fœminae cuti illapſae
oppido eandem exulcerabant. Caſi
aliquando ſanari Hydropem, ſi vulne
retur abdomen, *Benivenius de abd.mor*
bor.cauſ.c.100. Mich.Joh. Paſchalius l.
Meth.Cur.morb.c. 44. & *Foreſtus l.* 19
Obſ.med. 33.*p.* 248. experti ſunt. Ad
dam his & meam, fortean raram ne
injucundam. Ruſticus quidam in pa
go Nauendorf prope Jleburgum Hy
drope teſticuli dextri laborans, excori
ationem ſcroti incurrebat ab aſſidu
equitatione. Balneatorem advocat
qui rei novitate territus, quid applica
re debeat haeret, me igitur ſimul ac
cerſit. Invenio teſtes remoto Scrot
pendulos, & dextrum ſero tumere
Membranas teſticulum involvente
aperire ſvadeo, ſerum ut evacuetur, ſe
nec balneator nec aeger annuebat, n
iſta apertio impotentiam aut ſterilita
tem poſt ſe relinqueret ſoliciti. Inte
rim Emplaſtrum de Minio cum alii
applicare jubeo. Quid fit, reparat
Scroto in latere dextro infra teſticulum
locu

ocus relinqvitur groſſi circumferentia, mnem reſpuens curam, quod aquae raefatae intermiſſae evacuationi tri-uendum eſſe cenſebam. Dum igitur ruſtra occupatur Balneator, aeger ille liquando equis pabulum porrecturus, tabulum intrat, & forte calce equi crotum ejus petitur, & per foramen elictum ſtatim magna erumpit aqvae uantitas, qua evacuata, paucis adhibi-s remediis poſtmodum curabatur. e his vero ſatis. Reſponſorias ad Ex-ell. Dn. D. Schrammium his incluſi, uas ut data occaſione eidem transmit-is, precor. Deſino in voto, non mo-. ſed amori litaturus:

Sit Tibi ſitque Tuis novus hic fau-
ſtisſimus annus
Ne qua Tuos cruciet Mors Tibi
vita ſiet.

Chemnic, Cal. Jan. 1673.

EPISTO-

EPISTOLA XCIX.
DE SERO HYDROPICORUM ET FONTICULIS.

D. Chriſt. Erneſtus Stempelius

L. C. F. Garmanno

ANNAEBERGA CHEMNITIUM.

S. D. P.

EGo vero, Te noſtrum caſum luctumque ob deſideratisſimi Parentis noſtri obitum ex animo doluiſſe, ſatius intellexi, & quod maximum, non parum inde percepi ſolatii. Debemus autem T. Exc. amplisſimas gratias, quod non ſolum Parentis graviter tunc decumbentis morbo occurrere, benignisſimeque mecum de eodem communicare, ſed & elegans ſane diſtichon Beatisſimi tumulo inſcribere voluiſti, noſtrum erit, quam primum id fieri licebit, aliis praeprimis id ipſum praefigere, noſtrumque officium, det DEUS benigniore Fortuna, declarare. Interea Summus vitae Princeps Te cum honoratisſima Familia incolumem multosque

osque in annos, quod mecum omnes
oni exoptant, & Tuis & toti Reipu-
licae medicae ſuperſtitem ſervet, ani-
nitus precor. Caeterum quod ju-
undiſſimis Tuis debeo reſponſum, ſtu-
io idcirco diſtuli, dum quae grata ac-
eptaque eſſe poſſent, minus haberem,
ec inanibus fere graviſſima Tua mo-
ari vellem ſtudia. Tunc Clariſſ. D.
chrammius multifariam T. lectionem,
ncredibile inſuper judicium admira-
us executor harum eſſe voluit. Quae
utem Vir Exc. nuperrime de Scroti
c. apertione prolixius me docuiſti, ea
ne tam grata, tamq; accepta fuere, ut
ix dicere valeam. Eſt ſane in hoc
medii genere plerumque parum au-
ilii, multum contra periculi poſitum,
cundius tamen eſt, gravius quid in
orbo magno tentare, quam penitus
ſtinere, praeprimis, ut recte mones,
aegri ſint εὐσπλαγχνοι, & morbus al-
s non egerit radices &c. Singularem
erentur applauſum, quae de latice
o-ſeroſo adeo cauſtico in Affine no-
a Gairi obſervaſti. Patruus meus
roſchupfius eodem diro morbo ex-
tinctus

tinctus tantam citra ullum effluxum in cruribus ſentiebat titillationem, ut ferme impatiens ad horulam eadem ſetis ſuillis fricare cogeretur. Scrotum in molem intumeſcebat, apertionem vero recuſabat; E fonticulo autem quem in ſiniſtro brachio gerebat hujusmodi ſeroſus humor copioſus exſtillabat, adeo ſalſus & cauſticus, qui & emplaſtra linteumque decuplum impoſitum permeans penitus humectabat, corrodebat. Mirum itaque non eſt, quin ex millibus vix decimus reſtituatur, cum vix unus in morbi principio Medicum accerſat, nec curam, quam inchoavit, plane abſolvat. T. Exc. ſi quae porro in praxi notatu digna obſervet, mecum quaeſo communicet, idem Tuus ero.

Annaeberg. d. 16. Mart. 1673.

P. S. Dum ſupra quaedam de fonticulis, in memoriam ecce incidit, qvae ex relatione D. Hegen-waldi habeo: Eundem nimirum in Cive quodam Joachimico obſervaſſe, fonticulum brachio inuſtum ante obitum plane ſubſtitiſſe, poſt mortem vero largius exſtillaſ-

ſe

ë. Idem nuperrime Filia ejusdem de-
nortui civis cum Viro Lengenfeldero
anĉte confirmavit. Quae obſervatio
orſitan ad Tr. de mir. mort. Cui Tra-
ſtatui vel potius T. meritis Epigram-
na brevius transmittam praefigendum.

EPISTOLA C.

LIBRI SECUNDI DE MIRA-
CULIS MORTUORUM TITULI.
DE OVO HUMANO. EXTRA-
CTI COLOCYNTHIDIS
VIRES.

D. Joh. Mathiae Neſtero
L. C. F. Garmann

HEMNITIO *BERUTHUM.*

S. O.

Mihi vero jucundum fuit e V. E. ad Pharmacopœum noſtrum da-
s cognoſcere, & ſanitate V. E. adhuc
rui incorrupta, & mei memoriam ad-
uc ſervare floridam , integramque.
ptimo ſane jure mihi ſuccenſere po-
uiſſet, meque oblivionis pacti fœderis
terarii incuſare , pro innata tamen
huma-

humanitate mitius mecum agit, ſolo
que deſiderio literarum & opuſculo
lorum meorum ſe teneri amice ſcribit
Scit nempe quam raro, ex quo Seifri-
dus noſter a vobis abiit, ad vos noſtr
excurrant, & ſi forte occaſio ferat, quas
remoras ſcripturienti opponant aegro-
torum interpellationes. Quod igitur
mea opuſcula concernit, de miraculis
mortuorum liber ſecundus dudum Bi-
bliopolam & Typographum praeſtola-
tus eſt, qui quod futuris Nundinis ſit
proditurus, nuper ſpem fecit certisſi-
mam. Hujus autem σκιαγραφίαν inte-
rea transmitto.

Titulus I. aget de Cadaverum maculis.
II. De Contagio. III. De frigiditate,
rigiditate, calore & mollitie. IV. De
motu. V. De cruentatione. VI. De ſu-
dore. VII. De levitate & gravitate.
VIII. De Luce IX. De fragrantia. X.
De putredine animata. XI. De incor-
ruptibilitate. XII. De Cadaveribus pe-
trefactis. XIII. De in vitam revocatis.
XIV. De ſpectris. Circa haec ſi quae-
dam habet, quae moneat, aut quae ad-
denda cenſeat, de iis me proximis

Epi-

:ertiorem reddat & informet V. E. &
Epigramma his praefigendum (erube-
ſco fere dum ludicris Veſtra ſeria in-
erpello) adjungat, enixe rogo. Oolo-
ogia mea nondum ad finem perducta.
Occurrunt qvotidie obſervationes no-
'ae, qvae hypotheſin noſtram confir-
nant, & generationis animalium hiſto-
iam illuſtrant. Ovum humanum ha-
tenus varia judiciorum lance pepen-
it. Indignationem movit Senioribus,
unioribus admirationem, Phyſicis e
ommentario riſum, his qvi cum Er-
aſilo Plautino aptiores jus dicere lari-
o, & qvae pendent indemnatis pernis,
vam Naturae jura propalare, cachin-
os. Ova propoſui libanda, felle illa
ondierunt, obliti illius apud Simonem
ethi: Ova comeſta prodeſſe πρὸς εὐ-
νίαν iis, qvi cum fonte filiarum tauri
cum butyro aſſidue ederint. Suffi-
t mihi qvod Veſtrum, Veſtrûmque
milium, hoc eſt, doctiorum verorum-
ve Naturae myſtarum, experta ſunt
vorem & fatum. Jam dudum eſt
vod D. Joh. van Horne, ut in literis ad
. Rolfinkium datis confirmavit, ea-

dem publice demonſtravit, veſiculas-
qve eorum inflatas Muſeo ſuo ſacravit.
Demonſtrarunt & eadem Domini Li-
pſienſes D. Bohnius & Etmullerus in ca-
davere infanticidae, in cujus teſte plus
qvam viginti invenerunt ovula, diſtin-
ctae tamen magnitudinis, qvaedam
milii ſaltem grani ad inſtar, qvaedam
majora, qvaedam perfectae magnitudi-
nis. Perfecta medium teſtis, imperfe-
cta ambitum ejus occupabant. Talia
& canum eo tempore, qvo in vene-
rem pruriunt, continent teſticuli, rati-
one magnitudinis parum differentia:
qvae ut ſine labore oculorum adverta-
mus hoc modo procedendum. Si in-
teger teſticulus in aqvam mittatur fer-
ventem, ova brevi poſt in albuminis
indurati abeunt conſiſtentiam, ut levi
teſtis inciſione & compresſione vel
ſponte exiliant. Viae, per qvas e te-
ſticulis ad uterum tendant, in Demo-
criti adhuc latent puteo. Sed & hae
tandem qvorundam oculatorum exer-
citatorum non effugient induſtriam.
Sufficiant tubae Fallopianae, per qvas
ſemen prolificum aſcendere ad teſtes

conje-

conjecturamur , via anguſta & invia
qvidem, vera tamen forſan, ſi corpus
vivum cum mortuo componamus. In-
terea cum *Nicolao Stenone in deſcripti-*
one Muſculorum Geometrica p. 154. non
amplius dubito, qvin mulierum teſtes
Ovario analogi ſint, qvocunqve demum
modo ex teſtibus in uterum, ſive ipſa
ova, ſive (qvod tamen αὐτοψία refutat,
cum ipſa Ova in utero ſint deprehenſa)
Ovis contenta materia transmittatur.
Ova iſta in ſterilibus hypenemia cum
menſtruo expurgari, ſe in propria u-
xore vidiſſe, aliqvoties nuper Amicus
Medicus excellens confirmavit. An-
nus fere eſt, cum hic loci fœmina, qvae
nunqvam peperit, in ipſo menſium flu-
xu, ſed parciori, inſignibus dorſi & lum-
borum tentaretur doloribus, qvibus ſe-
datis & menſtruo ad votum fluente tan-
dem grumos ſangvinis cum ejusmodi
veſiculis egerebat. De morbis uteri lym-
phaticis ſeqvens apud *Chriſtophorum a*
Vega l. 3. Art. med. ſ. 10. c. 13. extat re-
latio. Fœmina ſe gravidam eſſe pu-
tans, ſexto menſe excrevit utero ſeptu-
aginta veſicas membranoſas aqva palli-

da plenas, qvantitate nucem caſtaneam aeqvantes. Erroneum demum ex hoc fundamento erit,dicere cum veteribus genitalia mulierum virilibus eſſe analoga, & non niſi ſolo ſitu differre. Sed haec de Ovis animalium, in vegetabilium ſemine ſeu Ovis rara plane & curioſa ſuccisſivis horis annoto, qvae etiam his aliqvando ſubjungere decrevimus; ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν. Pro obſervationibus ante transmisſis amicas V. E. ſolvo gratias. Extractum Colocynthidis in Melancholicis vires ſuas hactenus aliqvoties cum fructu exſeruit qvod ſi Anti-Melancholicum & Scorbuticum unum vel alterum posſideat, cum aliis obſervationibus V. E. mihi ne invideat, (ejusmodi namqve aegroti nos hic ſaepe fatigant) & a me viciſſim in his & aliis omnem expectet promtitudinem. Prioris hiſtoriae evolutionem dabo in ſeqventibus. Interea ut annum hunc novum cum aliis pluribus ſecuturis ad votum feliciter finiat, DEUM veneror, V. E. valere jubeo, meqve inpoſterum ipſius commendo favori.

Chemnitii, d. 12. Jan. 1673.

Index

INDEX RERUM.

ACeti & acidorum uſus nimius fœtui noxius. p. 308.
Eſculapio addita hieroglyphica. 119.
Alni lignum qvomodo indurandum. 155.
Aloes Schlibenſis deſcriptio. 218. 241. 245. caulem emiſit ſine ſtrepitu. 229. floret in ciſta terra referta. ibid. flos & aetas 237.
Per Alvum excreta varia. 291.
De Ammanni medicina Critica judicium. 297.
Anatomiae utilitas. 69.
Animae operationes. 54.
Aphonia Scorbutica. 204.
Aqva e fimetis contra ſcorbutum. 204.
Araneae nutriuntur aere. 284. cum bombyce antipathia. 285.
Arbor medulla ferrea. 133. 155.
Arthritis non eſt contagioſa. 198.

in Bibliopolas animadverſio. p. 300.
Bieber qvale ſymtoma. 324.
Bombycum cibus. 286.
Burrhi captivitas in Moravia. 251.
Cadaverum cruentatio. 179. 180.
miranda phaenomena. 98.
Caducus uteri. 93.
Cancer tridentifer. 161.
Carduus benedictus. 134. in eo luſus naturae 135.
ſine ſpinis. 182.
Caryophilli colores mutant. 263.
de Centaurio minori varia. 409. 413. ſqq.
Chirurgiæ infuſoriae inventio dubia. 27. modus applicandi. 15. ſqq. ubi locum habeat. 14. qvalis liqvor infundendus. 18. liqvor infuſus qvomodo operetur. 21. cur raro adhibeatur. 28. experimenta in canibus 30. an in fœtu adminiſtrari posſit 31.
Chirurgia transfuſoria. 32. in plantis 242.
Chryſanthemum monſtroſum 42.
Clamor ſangvinis Abelis. 99. 175.
Colici dolores. 405. ſq. 411.
Collegii

Collegii Curioſi laus. 80. 340.
Colocynthidis extractum prodeſt melancholicis. 366. 436.
Corona Imperialis monſtroſa. 262.
Cor piloſum. 169.
Cortex Winteranus. 296.
Coryli pulvis antepilepticus. 152.
Divinum in morbis & alibi. 60.
Dolores colici flatulenti. 405. ſq. 411.
Epigramma Fehrii in Garmanni ſcripta. 162. 163.
Garmanni in majoris Baumannum. 167.
Ejusd. in Petri Cardum. 136.
Ejusd. in Mollenbrocci Tr. de Varis. 206.
- - - - Sachſii Effigiem. 351.
- - - - Schrammii Centaurium minus. 421.
- - - - Stempelii tumulum. 423.
- - - - Zoilum. 137.
Mollenbrocci in Garmanni ſcripta. 145.
Epi-

Epigramma Petri in Garm.ſcripta. 185.
Sachſiii in Eadem. 171. 172.
Schmidii in Eadem 156.
Ettmülleri laus. 225.
Febris an ſpaſmum & apoplexiam tollat. 23.
aphrodiſiaca. 323.
Ferrum venenis reſiſtit. 11.
Fibrarum officium. 6.
Fieberkuchen. 191.
Fœtus lapidefacti. 169.
Fons Ronneburgenſis. 295.
Fontes mercuriales. 192.
Fonticuli proſunt in hydrope. 430. in Scorbuto. 203. poſt mortem largior fluxus. 431.
Freſeipulver. 151. 196.
Fulminis effectus mirandi. 8.
vis venenata. 10.
Hieroglyphica Æſculapio addita. 119.
Horror a vermibus. 290.
Hydrops apertione ſcroti curatus. 405.
in eo cura manualis. 424. ſq.
Hypochondriaci difficulter purgantur. 204.
caſus & conſilium. 252.
Ibyracua

Ibyracua ſerpens. 46.
Ignis ſubterraneus Schmidebergenſ. 246.
Impotentia a frigore. 321.
Leopoldi gratia in Collegium Curioſum. 305.
Lepra. 113.
Lien magnus. 191.
Ligni qvercini fruſtum cryſtallificatum. 154.
Liqvor refectivus Sachſii. 216. 234.
Lycopodii pulvis. 151.
Maculae ſcorbuticae poſt mortem. 139. ſq. 143.
varii coloris. 194.
Malum hypochondriacum. 92.
Margaritae minerales Erpenii contra peſtem. 49.
Melancholia taciturna. 366.
Veterum. 111.
Mercurificatio metallorum. 297.
Mercurius vivus cani infuſus. 241. 291.
Microcoſmi excellentia. 52.
Morbi haereditarii ſunt lymphatici. 198.
Mortis praeſagium ex odore. 289.
Moſchus. 93.
Occiput ſine cerebello. 327.

Opium cani propinatum. 30. de diverſa ejus operatione problema. 263.
Ovum monſtroſum. 288. de Ovo varia. 374. ſq. 392. Ovula humana qvomodo reddantur conſpicua. 353. 403. 434. eorum examen. 386. ſq. 400. ſqq. 433.
Pediculi poſt mortem 140. ſq. unde 144.
Penis figura in fronte 324. in occipite. 325. paralyſis a frigore. 321.
Petechiae varii coloris poſt variolas. 325.
Philippi Epiſcopi Bambergenſis exenteratio. 369.
Phimoſis a cicatrice poſt morbillos ſectione curata. 378.
Phtiſis propagatur halitu oris. 17.
Pini pulvis antiſcorbuticus. 195.
Plantae phantaſticae. 264. proliferae. 43.
Plantarum monſtroſarum cauſae. 102.
operatio a ſignatura. 135.
refrigerantium operandi modus. 135.
Plantis imaginationem tribuit Helmont. 103.
Pluvia ſulphurea unde. 152. 195.
Pnevmatolabium. 16.
de Principiis Chymicis varia. 75. ſq.

Pulliti-

Pullitiem perdunt graves ſoni. 288.
Pullorum vertigo. 288.
Pulmones indicium praebent de annis aetatis. 85.
Qvercini ligni fruſtum cryſtallificatum. 154.
Rapa monſtroſa. 269.
Raparum uſus medicus. 112.
Ren petrefactus. 169.
Reſpiratio per aures. 328.
Roſa Hierichuntica. 155.
triplex in uno ſtipite. 170.
Sabulum ſcorbuticum in Urina 330. varii coloris. 195.
Sachſii laus. 222. mors. 360. ſcripta. 63.
Sal aeris & ignis. 77.
Salivae vis fermentans. 16.
Sangvis e latere Chriſti an naturalis. 99. 176.
Sangvis ejus ſuper nos, Judaeorum clamor. 179.
Sangvinis liqvatio nimia. 14.
viſciditas qvalis & unde. 8. 11. 33
Satyriaſis mira. 365.
Scolopendra lucet in tenebris. 287.
Scomma in medicos qvosdam Bambergenſes. 371. ſq.
Scorbein